AH
4202
7

HD WIDENER

HW RGGR 6

Digitized by Google

10.18

AH 4202.7

FROM THE
DONATION FUND
OF
MDCCCXLII.

Rec'd Oct. 12,
1847

36. 3

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

SORTITIONE JUDICUM

APUD

ATHENIENSES

COMMENTATIO.

SCRIPSIT

Franz Volkmar

FRANCISCUS VOLCMARUS FRITZSCHE

ELOQUENTIAE ET POESIS IN ACAD. ROSTOCHIENSI

PROFESSOR P. O.

LIPSIAE

SUMPTIBUS AUGUSTI LEHNHOLDI

MDCCCXXXV.

Digitized by Google

AH 4262.7
~~10216.95~~

Digitized by Google

DE

SORTITIONE JUDICUM

APUD

ATHENIENSES

COMMENTATIO.

SCRIPTA EST MENSE MAJO

MDCCCXXXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

De sortitione judicum apud Athenienses.

CAPUT I.

Edita est ante hos duodecim annos de hoc ipso argumento G. F. Schoemanni dissertatio, quae mihi quidem tum olim primum legenti plena erroribus manifestis visa est, tum nuper diligentius tractata multas ob causas egregie displicuit. Quocirca et aliis viris doctis gratum me puto facturum esse, si quid mihi de gravissima re videatur, ostendero, neque Schoemannum ipsum, virum elegantis judicii accurataeque doctrinae, quem magni aestimo, non lubenter cogniturum spero, quid sit, quod in alia omnia abierim: aegre quidem eum dissensionem nostram laturum non esse certo scio, vel quod solo veritatis amore ductus haec scribere aggressus sum, vel quod nihil unquam Schoemanno vidi blandius. Ordinem vero disputandi qui aliquoties turbatum esse mirabuntur, ii culpam huius rei in Schoemannum rectius conjicient, qui sine justa ratione primum quodque in medium attulit, quam in me, qui jam aut missum facere Schoemannum, id quod ridiculae cuiusdam vanitatis censeo, aut praeeuntem sequi vel potius insectari coactus sim. Equidem tametsi cum linguarum veterum investigatione antiquitatis studium ex aliquot annis conjunxi, tamen hoc in loco, (ut ea praeteream, quae plane falsa esse possint) probabilia tantum invenisse videor; dubitavi de plurimis, haud multa confirmare ausus: sed nimirum magna est harum ipsarum rerum obscuritas.

Jam primum illud neminem fugit, in judicia Atheniensium publica ex omnibus promiscue civibus, qui modo triginta annos nati essent, neque ulla ignominia publice notati locum

Digitized by Google

suum tuerentur, jam inde a Solonis temporibus judices sorte legi solitos. De caedis autem judiciis unum omnino exemtum est, sanctissimus ille Areopagi consessus, in quem novem Archontes deposito probatoque magistratu adscendebant: quatuor autem reliqua in hoc numero ponamus, siquidem Ephetarum auctoritas primum Solonis legibus adeo imminuta, ut satis raro, nec nisi leves causas ac valde perspicuas cognoscerent, haud ita multo post praeter inanem quandam speciem dignitatis sublata est. Sed quo notius est, cautum esse, ut judices scriberentur triginta [1]) annis ne minores, eo minus videtur convenire, quod soli fere senes ab Aristophane *δικασταὶ* inducuntur, velut in Vespis, quae Chorum habent senum aetate confectorum *χορὸν ἐκ γερόντων Σφηκῶν*: omitto singulos versus facile obvios, in his Vesp. v. 195 et 224 et sqq. 255. Juvenes fuisse judices negat Demosthenes in Midiam 223, 8. Attamen unus locus, a Scholiasta ille quidem et Florente Chr. haud sane intellectus, Vesp. 1114—1121, ubi indignatur Chorus, cives quosdam, nondum obita militia, domi desidentes judicibus adscribi atque mercedem ferre, cum aliorum scriptorum testimonio, Demosthenis maxime Pollucisque, consentit. Ceterum facile mihi persuadeo, permagnam judiciorum partem e senibus constitisse, qui corpore jam infirmo, ternos obolos, unicum prudentiae suae praemium, lubenter acciperent, viros autem, qui in ipso aetatis flore ex opere arteve sua multo plus lucri facerent, de jure sortiendi saepenumero decessisse. Sex millia judicum (*τῶν δικαστῶν* sive *ἡλιαστῶν*) Athenis fuisse recte colligunt ex locis his, primum ex Aristophane, nimiam judicum multitudinem leniter reprehendente, Vesp. 662.

ἀπὸ τούτων νυν κατάθες μισθὸν τοῖσι δικασταῖς ἐνιαυτοῦ,
ἓξ χιλιάσιν, κοὔπω πλείους ἐν τῇ χώρᾳ κατένασθεν.

tum ex Andocide De Myster. 17, 8 B., ubi omnes illius anni Heliastae de una causa simul judicasse dicuntur, *ἐγράψατο τὸν Σπεύσιππον παρανόμων, καὶ ἠγωνίσατο ἐν ἑξακισχιλίοις Ἀθη-*

1) Nec vero eis, qui magistratum, personam aliquanto majorem judice, ambirent, ante, ut puto, nomina profiteri licebat, quam XXX annos nati essent: unde ortae videntur Scholiastarum nugae, quas nuper explosi De Daetalens. p. 20 sq.

Digitized by Google

ναίων. denique ex aliquot grammaticorum locis, in quibus universi judices τῶν ἑξακισχιλίων nomine appellantur, ut Suidae s. Πρυτανεία et Scholiastae ad Vespas l. l. Unus ac praeter caeteros Sam. Petitus (Legg. Att. p. 412) non plus quinque millia judicum agnovit, ratione usus speciosa quidem, sed, ut infra videbimus, non vera. Interim hoc teneamus, sexies mille viros non perdiu, sed dum Athenae in summo essent fastigio, judices sedisse: quos et ante Periclis aetatem pauciores fuisse ipse docet Aristophanes (quod enim plures heliastas adhuc conspectos esse negat, eo idem pauciores affirmat) et post bellum Peloponnesium, imperio ad Lacedaemonios translato, ad minorem numerum recidisse per se apparet, praesertim quum multi insulani, quibus antea Athenis jus redditum erat, defecissent. Jam vero in oculos incurrit, annuum fuisse munus judicum, pariter atque fuit novem Archontum, qui singuli suo quisque judicio praeerant. Atque in re nonnullis dubia, mihi certa, etiam testibus uti licet luculentis. Et Aristophanis quidem versui nihil tribuo, apud quem sive ἐνιαυτοῦ convertas in annum, quia heliastis pecunia quovis die judiciali solvebatur sive μισθὸν ἐνιαυτοῦ copules, ut sex millia judicum eorumque merces annua commemorentur, impune tamen fingas, eos plures, atque adeo multos annos officio suo functos esse: nam illud quidem, ut cives ad quotidianas judicum sortitiones vulgo profiterentur, in civitate bene constituta fieri non potuit, nedum apud Athenienses, qui rem judiciariam etiam nimia cum arte ordinaverant: quid autem, si quando justo pauciores, interdum nulli, nomina edidissent? Ne dicam, sortiendo, scribendo, jurando, judicia describendo, multa denique comparando totum prope diem abiturum fuisse. Sed vel unus Isocratis locus rem conficit Περὶ Ἀντιδόσεως 21, 5 B. Καὶ γὰρ αἰσχρὸν — παρ' ὑμῖν δὲ μηδὲ τῶν ἴσων τυγχάνειν τοὺς κινδυνεύοντας τοῖς συκοφαντοῦσιν, ἀλλ' ὀμνύναι μὲν καθ' ἕκαστον τὸν ἐνιαυτὸν, ἢ μὴν ὁμοίως ἀκροάσεσθαι τῶν κατηγορούντων καὶ τῶν ἀπολογουμένων κ. τ. ἑ. Nam, ut recte Schoemannus, jusjurandum annuum sine annua sortitione ne cogitari quidem potest. Verissime etiam Pollux VIII, 86—88 haec scripsit; καὶ κοινῇ μὲν ἔχουσιν (οἱ ἐννέα ἄρχοντες) — καὶ κληροῦν δικαστὰς —. Καὶ κοινῇ μὲν ταῦτα· ἰδίᾳ δὲ οἱ μὲν θεσμοθέται προγράφουσι, πότε δεῖ δικάζειν τὰ

Digitized by Google

δικαστήρια — καὶ ταῖς ἀρχαῖς ἐπικληροῦσι τὰ δικαστήρια τα ἴδια καὶ τὰ δημόσια. Duas ait judicum fuisse sortitiones, quarum alteri (et ei quidem haud dubie annuae) omnes novem archontes praepositos, alteram (eamque cunctis diebus, praeterquam festis, communem et decem menses integros quotannis complexam) thesmothetis sex, quum diem judicialem rite indixissent, solis relictam vult: eos enim magistratui, quoties in jure dicundo quaestioni praeesset, sua cuique judicia sortito attribuisse. De creberrima thesmothetarum sortitione post plura dicemus: mentionem ejus fecerunt etiam Demosthenes in Pantaen. 39, 6 B. *ἤδη τῶν δικαστηρίων ἐπικεκληρωμένων* atque in Euerg. 17, 2 B. *κληρουμένων τῶν δικαστηρίων* et Pollux bis VIII, 123 *τῶν δὲ θεσμοθετῶν κληρούντων* (non *πληρ.*) *τὸ δικαστήριον* et §. 148. *Ἐρεῖς δὲ, ἐκληρώθη τὸ δικαστήριον, ἐνεκληρώθη* (scribe *ἐπεκληρώθη*) —.[2]) Annuam vero sortitionem paullo obscurius tetigit orator, in Aristogit. I, 27, 2. *ἀλλ' ὑμεῖς αὐτοὶ, πάντων ὅρτι κληρουμένων Ἀθηναίων, καὶ πάντων εὖ οἶδ' ὅτι βουλομένων εἰς τοῦτο λαχεῖν τὸ δικαστήριον, μόνοι δικάζεθ' ἡμῖν. διὰ τί; ὅτι ἐλάχετε, εἶτ' ἀπεκληρώθητε· ταῦτα δὲ οἱ νόμοι λέγουσιν.* Dicam, quod sentio: narrat, omnes Athenienses modo sortitos esse; habita est igitur oratio paullo post sortitionem annuam; addit, omnes exoptasse, ut sibi hoc maxime judicium obtingeret; habita est igitur oratio ad heliastas, quoniam in heliaea judicare et ad fructum putabatur uberrimum ob causarum frequentiam et ad laudem amplissimum propter loci splendorem: pergit, solos nunc jus dicere, primum *ὅτι ἐλάχετε*, hoc est, quod sors initio anni vos potissimum judices fieri voluit, nam sorte ad judicandum legor graece est *λαγχάνω δικάζειν*; tum vero, *ὅτι ἀποκληρώθητε*, quod sorte discreti selectique estis; loqui videtur de fine annuae sortitionis, quum judicibus antea in universum delectis aliis alius locus assignaretur, illis quidem heliaea. Non recte MATTHIAEUS[3])

---

2) Usus est his locis A. MATTHIAEUS in eximia dissertatione de judiciis Atheniensium, Miscellan. philolog. p. 254 infra. Sed plerique loci, qui in hac omni quaestione momentum faciunt, occupati sunt a Meursio, Petito, Jungermanno, aliis.

3) In Luciani loco, Bis Accusat. c. 12. *ὁπόσοι γραφὰς ἀπήνεγκαν, ἥκειν ἐς Ἄρειον πάγον, ἔνθα ἡ Δίκη ἀποκληρώσει τὰ δικαστήρια, οἱ δικασταὶ ἐξ ἁπάντων Ἀθηναίων· ὁ μισθὸς τριώβολον ἑκάστης δίκης· ἀριθμὸς*

Digitized by Google

l. l. ἀπεκληρώθητε ad sortitionem secundam ac paene quotidianam refert, cujus in toto loco nullum vestigium est, pessime autem Schoemannus p. 26 infra ad sortitionem trahit omnium ultimam, quae ante fores singulorum dicasteriorum peragebatur. Constat autem judices recens electos in Ardetto, qui fuit locus in vicinia urbis prope Ilissum supra stadium Panathenaicum, jurejurando quotannis adactos esse. Grammaticorum loci id testantium (nisi quod tempus dati jurisjurandi praetereunt) a Schoemanno appositi sunt, Polluc. VIII, 122, Harpocrat. p. 27, Hesych. s. Ἀρδήττους, Suid. s. Ἀρδήττης (is more suo descripsit Harpocrationem). Lex. rhet. in Bekk. Anecd. p. 207, 2., Συναγ. λεξ. χρησ. ibid. p. 443, 24 (hic grammaticus e duplici fonte hausit, partim enim conspirat cum Harpocratione, partim cum lexico rhetorico) et Etymol. M. p. 147, 8. Denique in Δικῶν Ὀνόμ. ap. Bekk. 183, 4. Ἀρδήττος: ὄρος ἐστὶν, ἐν ᾧ τοὺς ὅρκους ἐποιοῦντο. Non mons fuit, sed collis, certe locus editior. Postremo haud multum proficias e Plutarch. Theseo c. 27 ἀπὸ δὲ Παλλαδίου καὶ Ἀρδηττοῦ (scr. Ἀρδήττου) καὶ Λυκίου (scr. Λυκείου). Annuum jusjurandum dici solebat ὅρκος ἡλιαστῶν, sive ὅρκος ἡλιαστικός, quod Harpocratio et ex eo alii diserte ad Ardettum conferunt: ἐν τούτῳ, φασί, δημοσίᾳ πάντες ὤμνυον Ἀθηναῖοι τὸν ὅρκον τὸν Ἡλιαστικόν. Hoc jusjurandum ad verba singula, ut quidem videtur, propagavit Demosthenes in Timocrat. 149, 1. Quo in loco quum plane desit formula a Polluce tradita VIII, 127. Ὁ δὲ ὅρκος ἦν τῶν δικαστῶν περὶ μὲν ὧν νόμοι εἰσί, κατὰ τοὺς νόμους ψηφιεῖσθαι· περὶ δὲ ὧν μή εἰσι, σὺν γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ., cujus ipsius tamen fides Demosthenis consensu nititur, Adv. Leptin. 118, 5. In Aristocrat. 96, 5. In Boeot. I, 40, 1. In Eubulid. 63, 7., egregie monuit F. A. Wolfius ad Leptin. l. l., alteram jurandi formulam cum altera a Polluce confusam esse, posterioris autem jurisjurandi adactionem singula judicia praecessisse videri. Id partim jam viderat, multa tamen turbans, S. Petitus Leg. Att. p. 396.

τῶν δικαστῶν κατὰ λόγον τοῦ ἐγκλήματος. reliqua mori judiciorum atticorum bene conveniunt; mitto ἡ Δίκη, ingenii lusum, leviter repugnat ἑκάστης δίκης pro ἑκάστης ἡμέρας, sed magnopere officiunt verba ἥκειν ἐς Ἄρειον πάγον.

Digitized by Google

414. Omisit tamen Wolfius ex ipso, quem tractabat, Demosthenis loco rem demonstrare, id quod facile erat verba simpliciter describenti: *Χρὴ τοίνυν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι κἀκεῖνο ἐνθυμεῖσθαι καὶ ὁρᾶν, ὅτι νῦν ὀμωμοκότες κατὰ τοὺς νόμους δικάσειν ἥκετε οὐχὶ τοὺς —.* Plane dicit, judices modo, tum maxime jurasse. Neque negligendus est usus potestasque Perfecti *ὀμωμοκότες* et in duobus proximis locis *ὀμωμόκασιν* atque *ὀμωμόκατε*, quod eo pertinet, ut rem paullo ante praeterisse appareat: nam de annuo jurejurando, olim dato, dicendum erat *ὀμόσαντες, ὤμοσαν, ὠμόσατε* in Aoristo. Sed age, Pollucis locum jam totum videamus, ut intelligi possit, quam non astute insignem, quo erat, stuporem hic ipse prodiderit. *Ὤμνυον δέ*, inquit, *ἐν Ἀρδήττῳ δικαστηρίῳ Ἀπόλλω πατρῷον καὶ Δήμητρα καὶ Δία βασιλέα· ὁ δὲ Ἄρδηττος — Ὁ δὲ ὅρκος ἦν τῶν δικαστῶν· περὶ μὲν ὧν — σὺν γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ· ὀμοσάντων δὲ καὶ τῶν δικαζομένων, τὸ πᾶν ἐκαλεῖτο ἀμφιορκία* [4]). In judicio utrosque, tum heliastas, tum etiam, qui legibus

4) Claris verbis profitetur, utrumque jusjurandum, et judicum, et eorum qui legibus experirentur, communi nomine *ἀμφιορκίας* appellatum esse, sed rursus eum fefellit opinio. Namque duae illae jurisjurandi adactiones, inter quas omnino nihil intercedebat necessitudinis, usque eo diversae fuerunt, ut ne tempore quidem convenirent. Nempe altero heliastae in judicio demum, altero ei, qui litigabant, a magistratu obstringebantur causa nondum in judicium adducta. Et accusatoris quidem jusjurandum *προωμοσία* nominabatur, rei vero *ἀντωμοσία*, postremo *διωμοσία* utriusque V. Matthiaeum p. 258 infra. Attamen Polluci favent non solum *Δικῶν Ὀνόματα* Bekk. 184, 9., verum etiam, quod me magis movet, Lexicon Rhetoricum ibid. 311, 23. Hi omnes non prius fidem apud me invenient, quam demonstratum fuerit, litigantium quoque plane ut judicum, fuisse, non semel, sed bis jurare, primo apud magistratum, tunc in judicio: quod etsi per se haud improbabile videatur, tamen ostendatur oportet, ut credi ab omnibus possit. Interim Hesychio potissimum adsentiemur, qui verba *ἀμφιορκία* sive *ἀμφωμοσία* duas jurandi formulas, unam accusatoris, rei alteram, complexa esse bis tradidit in voce utraque: ita ut *διωμοσία* et *ἀμφιορκία* eodem redirent. Cum hoc grammatico Suidae ita convenit, ut tamen nomen *ἀμφιορκία* ad unam furti actionem adstringat (s. v. *ἀμφιορκία*): qui credidisse videtur, eos, qui inter se litigarent, ne semel quidem jurasse, nisi in certis quibusdam actionibus: quae opinio nihil habet, quo commendetur. Errasse hominem vel inde patet, quod modo ita loquitur, ut etiam reus, modo quasi solus accusator jurasse videatur: at hoc quidem quomodo tandem dici poterat *ἀμφιορκία*?

Digitized by Google

disceptarent, jurasse narrat, ita porro narrat, ut plane arbitretur, hoo duplex jusjurandum tam tempore, quam re, conjunctum fuisse. Hoo igitur probe sciebat Pollux, in judicio heliastas fidem dedisse, in judicio denique eos in hanc ipsam formulam, quam attulit, jurasse: at quam multa eum fugiebant. Primum ignorabat, non in uno judicio, praeterea nusquam, juratum esse, sed in quo quisque judex sederet, ab aliis verbi causa in Heliaea, ab aliis in Parabysto, ab aliis in Trigono. Deinde miser ille, neque omnia doctus, annuum jusjurandum a judicibus dandum ne noverat quidem, neque de eo unquam somniarat: inaudiverat autem nescio quid de Ardetto, inque eo loco illos jurejurando obstrictos esse acceperat. Quid igitur faceret? Inscientiae addidit fraudem. Quum heliastas nisi in judicio quodam, nullo in loco jurasse putaret, in Ardetto autem jurasse eos certo sciret, Ardettum sua memoria et praeter omnem antiquitatis fidem in judicium convertit ἐν Ἀρδήττῳ δικαστηρίῳ [5]). Quodsi ab Ardetto discesseris, reliqua omnia Pollucis verba ad alterum jusjuran-

---

5) Hunc Pollucis locum (multos autem addere possum simillimi generis) ii notabunt, qui Pollucem admirari solent. A. BOECKHIUM quidem, egregium virum, in istorum numero perinvitus repono. Contra HERMANNUS ante hos novem circiter annos praeclare eos docuit, Pollucem tam stultum fuisse, ut magnam partem eorum, quae tradiderit, vix intellexisse videatur: qua sententia nihil verius cogitari posse mox expertus per me intellexi. Tunc primum Pollucem criticum nauci non habere coepi: quem ut hominem, rhetorem scriptoremque ob turpem vitam, ingenium nullum et ob tumidum sermonem mirifice contemnerem, jam antea effecerat Lucianus. Recte enim nuperrime RANKIUS, refutatis HEMSTERHUSII argumentis, quae nulla sunt, ostendit, hominem, qui a Luciano in Rhetorum Praeceptore (ubi vide c. 24) atque in Lexiphane acerbissime exagitatus est, vix ac ne vix quidem alium haberi posse, nisi Pollucem: illud tamen vitupero, quod RANKIUS hanc quaestionem denuo inchoare maluit, quam plane absolvere. Nam praeterea tum in Pseudologista, tum in libro Adversus Indoctum eundem Pollucem traduci arbitror: ut singulos quosdam locos, partim ambiguos, omittam. Postremo in Amoribus et Demosthenis Encomio aut alius rhetoris, aut ipsius Pollucis ampullas, quaesitum absurde artificium verbaque poëtica facete irrisit. Atque etsi Lucianus odio et ira occaecatus haud dubie omnia adversarii sui vitia supra modum adauxit, fortasse etiam nonnulla immiscuit, quae procul a vero abessent: vel sic tamen tanta in Polluce macula haerebit, ut ego primus nostra quidem aetate huius sententiae, quantumvis verae, auctor haberi noluerim, quum potuissem.

Digitized by Google

dum idque creberrimum revocanda sunt: quando et haec ipsa jurandi forma in Demosthene prorsus deest, neque dii iidem testes invocantur, in Demosthene *ἐπομνύναι Δία, Ποσειδῶ, Δήμητρα*, in Polluce vero *ὄμνυον δὲ — Ἀπόλλω πατρῷον, καὶ Δήμητρα, καὶ Δία βασιλέα* [6]). Ceterum hoc posterius jusjurandum hinc mutuo sumsit Chorus Equitum v. 938 *εἶγε, νὴ τὸν Δία, καὶ τὸν Ἀπόλλω καὶ τὴν Δήμητρα*, quo majorem vim fidemque dictis suis conciliaret. Ac nescio, an ordo Deorum ab Aristophane institutus longe praestet alteri Pollucis et pro usitatissimo habendus sit. Saepe autem Athenienses, secundum antiquam legem per tria numina jurabant. Vide SPANHEMIUM ab Nub. 629. *Μὰ τὴν ἀναπνοήν, μὰ τὸ χάος, μὰ τὸν ἀέρα*, cum quo versu contendi potest nobilis Senarius Demosthenis, *μὰ γῆν, μὰ κρήνας, μὰ ποταμούς, μὰ νάματα* ap. Plutarch. Vit. Demosth. c. 9. Nolim equidem Pollucis loco, quum cetera absurdo, tum fortasse justo breviori vehementer confidere: alioquin putarem, jusjurandum prope quotidianum his verbis conceptum fuisse: *περὶ μὲν ὧν νόμοι εἰσί, κατὰ τοὺς νόμους ψηφιοῦμαι· περὶ δὲ ὧν μή εἰσι, σὺν γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ. ἐπόμνυμι Ἀπόλλω πατρῷον καὶ Δήμητρα καὶ Δία βασιλέα.*

Potius tamen aliqua sacramenti pars videtur deesse, quae qualis esse potuerit, declarabo. Quotannis jurabant secundum Demosthenem, pecuniam ob judicatum non accepturos, neque se donis corrumpi unquam passuros (*οὐδὲ δῶρα δέξομαι τῆς ἡλιάσεως ἕνεκα* —): non jurabant, se in ea litera, quae cuique sortito obvenisset, semper consessuros esse. Hoc igitur in quotidiano jurejurando additum fuisse puto: quum praesertim et fraus in hoc genere reipublicae illa quidem damnosa haud raro committeretur, et quum Senatores quoque inde ab Ol. 92, 3 in eadem verba jurarent, ut patet e Philochori loco ap. Schol. Plut. 973: *καὶ ἡ βουλὴ κατὰ τὸ γράμμα τότε πρῶτον ἐκαθέζετο. καὶ ἔτι νῦν ὄμνυσιν ἀπ' ἐκείνου καθεδεῖσθαι ἐν τῷ γράμματι, ᾧ ἂν λάχωσιν.*

Tantum cuivis patet, vulgare jusjurandum breve quoddam fuisse et paucorum omnino verborum: contra annuum

6) Cum Polluce conspirat iste *Συναγωγῆς* scriptor: *τριῶν δὲ θεοῖς ὄμνυον, Δία, Δήμητραν καὶ Ἥλιον*, nisi quod perinepte loquutus est.

Digitized by Google

illud et longos orationis circuitus conficere, et accuratissime scriptum esse videmus. Plus quam satis fuisset profecto, annuum jusjurandum quovis die judiciali a praecone recitari: verum non, ut Romanorum, sic etiam Graecorum, minimeque Atheniensium, tanta religio fuit, ut eorum magnopere interesset, utrum semel jurarent, an sexcenties. Quemadmodum vero ille Pollucis error a Viris Doctis nondum aut deprehensus est, aut explicatus, sic verba *ἐν Ἀρδήττῳ δικαστηρίῳ* nonnullos mirabiliter deceperunt. Nam et Kuehnius infelicissimae conjecturae periculum fecit, et Schoemannus nuper p. 43, nihil ipse decernens, rem in medio reliquit, id est, judicavit, fieri posse, ut vera sit ista Pollucis opinio. Multo melius jam olim I. Meursius in Areopago c. XI. fin. lapsum existimavit Pollucem: neque enim, qui jus in Ardetto dictum tradat, praeterea quemquam inveniri, ac constanter alios dicere, tantum isthic jusjurandum a judicibus datum esse. De numero autem hominum in Ardetto jurantium duplex exstat grammaticorum memoria, una, ad cunctos Athenienses hoc munus pertinere censentium, Harpocrationis eorumque, qui ab eo pendent (*ἐν τούτῳ, φασί, δημοσίᾳ πάντες ὤμνυον Ἀθηναῖοι τὸν ὅρκον τὸν ἡλιαστικόν*), altera in Lexico Rhetorico alibique prodita, ad solos judices (*ἐν τούτῳ οὖν τῷ χωρίῳ ὤμνυον οἱ δικασταὶ τὸν δικαστικὸν ὅρκον*): quam utramque alter iste Bekkeri grammaticus compilando diversa, ut solet, mire conflavit. Sed profecto hos, qui judicibus tantum id officii tribuunt, sequi debemus, neque illud, quod dubitanter proponit Schoemannus, ullo modo credibile est, ab omnibus quotquot ad sortiendum convenissent, ante sortitionem juratum esse: quasi vero quisquam hoc jurejurando adigi potuerit, nisi cui in illum annum felicior sors cecidisset. Imo videtur Harpocratio judicum Atticorum jusjurandum atque civium universorum commiscuisse; in quem errorem etiam Schoemannus inductus est, ut de jurejurando judiciali explicaret Andocidis locum In Alcibiad. 3, 2 B., *τῷ ὅρκῳ τοῦ δήμου*, ubi certissimum est, civile potius designari. Recte vero idem Harpocratio, lectis verbis utens, dixit *τὸν ὅρκον τὸν ἡλιαστικόν*, falso altera pars grammaticorum *τὸν δικαστικὸν ὅρκον*, si quidem a Demosthene affertur *ὅρκος ἡλιαστῶν*, a Polluce autem *ὁ ὅρκος τῶν δικαστῶν*. Unde certo efficias,

Digitized by Google

Athenienses annuum jusjurandum a quotidiano ita discrevisse, ut alterum τὸν ἡλιαστικὸν ὅρκον nominarent, alterum τὸν δικαστικόν. Ceterum nullo fundamento nititur Schoemanni opinio, conjicientis, in Ardetto, ubi heliastae jurabant, etiam sortitionem annuam factam esse. Quin potius ab Ardetto, vetusto quodam heroë, qui ibi Athenienses, seditione sedata, religione sacramenti primum devinxisse ferebatur, locus et nomen invenit suum, et annuo illi jurijurando consecratus est: ubi autem canditati judiciorum quotannis sortiti sint, qui certe alius locus fuit, infra planum facere studebo. Denique quod Theophrastus apud Harpocrationem ejusque pedisequos hunc morem postea abrogatum esse testatur, non hoc vult, quotannis jurari omnino desitum esse, sed tantummodo sacramentum ex Ardetto sublatum: quod tum fortasse in forum (τὴν πύκνα) transferebatur, ubi judices futuros sub anni initio sortitos esse mihi persuadeo. Sed haec hactenus: ne in ipsa praefatione modum excessisse videar. Nunc fontem paene unicum, ex quo sortiendi rationem, in judiciis veterum Atheniensium usitatam haurire coacti sumus, monstrabo, Scholia ad Plutum Aristophanis posteriorem v. 277, 278. Scripserunt autem de hac fabula breves certe, qui dudum interierunt, commentarios doctissimi grammatici, Didymus, Callistratus, Euphrónius, Apollodorus, Telephus, Salustius et alii fortasse. Quorum libellos posthac Scholiastae, indocti homines, ita contraxerunt, ut alia parum intellecta mireve perturbata corrumperent, alia loco insererent alieno, alia et ea quidem gravissimi ponderis plane omitterent: nam levissima quaeque multis verbis inculcare solent. Horum scholiastarum adnotationes, ut Thomae Magistri, ut Triclinii rursus editores principes, Aldina quidem scholia M. Musurus, collegerunt collectasque ediderunt, omnino satis accurate: veruntamen in singulis quibusdam verbis lapsi sunt. Itaque quidquid scholiis istis veri continetur, id prope totum debetur grammaticis: qui vero errores iis insunt multi gravesque, eorum partim ipsi commiserunt grammatici, partim idque saepissime scholiastae, partim etiam editores, sed rarius. Quod igitur nonnulli satis habent librariorum vitia scholiis illata emendare, debebant etiam diversos indagare auctores ac tum vera a falsis, a recentibus vetusta distinguere: nunc laboris partem vel

Digitized by Google

maximam subterfugiunt. Id vero in graecis Pluti interpretibus (quamvis hoc quidem in loco spem nostram destituat) egregie praestitit T. Hemsterhusius, cujus felicissimum studium magnopere laudandum est. Nam in Scholiis ad Plutum magis etiam, quam ad caeteras Aristophanis fabulas verissima cum ridiculis turpiter permixta esse videas. Sed ad v. 277, 278., praeterquam quod eximius Aristotelis locus servatus est, quatuor Scholia admodum inter se diversa afferuntur, quorum tria fidem habent antiquitatis, ultimum, ex Juntina II. assumtum et recens esse apparet, et perabsurdum: quare in imum marginem rejeci. De reliquis primum nihil lucis affundit potiusque tenebras auget, secundum malis haud paucis plura tamen mixta habet generis optimi, utrumque vero jam olim confectum esse Ravennas testatur, qui primum cum parte secundi et ipse propagavit, tertium denique unum omnium doctissime scriptum est, ut praeclarum grammaticum ubique agnoscas. Nunc virorum doctorum opiniones breviter commemorabo. Ac de Schoemanno quidem infra erit dicendi locus; Valkenaerius autem apud Dobraeum: „Ista de X tribunalibus, inquit, quibus singulis litera erat inscripta, nullo teste confirmata" (postea addidit „imo Aristotele partim") „atque aliunde etiam ignota, mihi videntur pleraque recentiorum commenta. Insunt etiam plura deterioris aevi non obscura vestigia, p. 81, 82, 83." (ed. Hemst.) „Vetera sunt, quae leguntur ex Aristotele ad v. 278." Postremo Dobraeus ita censet, secundi scholii partem de meliore nota commendari, dummodo ista, ut putat, fabula de X tribunalibus deleatur, tertium vero plane in nugis, vel etiam infra nugas habendum esse pronuntiat.[7]) Ceterum quod ait Schoemannus, secundum scholiastam a Petito Leg. Att. p. 392, 393. in hac re tractanda unum ducem electum esse, tertio prorsus neglecto, inique judicavit de Petito, quem attentius ipso Schoemanno tertium scholium legisse meliusque eo uti scivisse facile patet. Scholia autem, quae dixi, haec sunt: v. 277. *παρὰ*

7) Ne cui forte res incredibilis videatur, ipsius Dobraei verba describam: „Mihi videntur sat bonae notae. — Ista vero, *Ἔρχεται ἕκαστος εἰς τὸ πιτάκιον ἔχων*, merae sunt ineptiae. Hoc volunt; — Si Graeculi verba emendatione digna sunt, malim. —"

Digitized by Google

τοῖς Ἀθηναίοις δέκα ἦσαν φυλαί. ἔθος οὖν [8]) ἀπὸ πασῶν τῶν φυλῶν δικαστὰς καθίζειν· εἶτα ἀπὸ μιᾶς ἑκάστης ἐλόμβανον ἄνδρας πέντε τοὺς ἐπισημοτέρους καὶ πάλιν ἐκ τῶν πέντε ἕνα τὸν [9]) κλήρῳ λαχόντα ἐποίουν δικάζειν. ἀντὶ οὖν τοῦ εἰπεῖν [10]) ἐν τῷ δικαστηρίῳ κληρωθὲν τὸ γράμμα, ὅ ἐστιν ὁ κλῆρος, κατὰ τὸ ψήφισμα [11]) δικάζειν σε καὶ δικαστὴν καθέζεσθαι, ὡς πρὸς γέροντα παρ' ὑπόνοιαν παίζει. Ἄλλως. ἐν ταῖς Ἀθήναις πολλὰ ἦν δικαστήρια. καὶ ἐν τισὶ μὲν ἐδίκαζον περὶ φονικῶν πραγμάτων, ἐν τισὶ δὲ περὶ δημοτικῶν [12]). καὶ ἕκαστον δὲ τούτων εἶχεν ἕν τι τῶν στοιχείων εἰδικὸν ὄνομα, οἷον, ἦν τι τῶν δικαστηρίων λεγόμενον ἄλφα· ὁμοίως ἄλλο λεγόμενον βῆτα, ἄλλο γάμμα, καὶ ἑξῆς τὸ δ καὶ τὸ ε, καὶ ἕως τοῦ κ. [13]) δέκα γὰρ ἦν δικαστήρια τὰ πάντα [14]) ἐν Ἀθήναις, καὶ πρὸ θυρῶν δὲ ἑκάστου δικαστηρίου ἐγέγραπτο πυρρῷ βάμματι τὸ στοιχεῖον, ᾧ τινὶ τὸ δικαστήριον ὠνομάζειο. ὅσοι δὲ δικασταὶ ἦσαν ἐν Ἀθήναις, ἕκαστος καθ' ἓν [15]) δικαστήριον εἶχε δέλτον, τουτέστι πινακίδιον, ἐν ᾧ ἐγγεγραμμένον ἦν τὸ ὄνομα αὐτοῦ, καὶ τοῦ δικαστηρίου. εἶχε δὲ καὶ ῥάβδον ἅμα τῷ πινακιδίῳ· καὶ ἐν αὐτῇ δὲ τῇ ῥάβδῳ ἦν τὸ ὄνομα τοῦ δικαστηρίου ἐγγεγραμμένον. ὅτε οὖν συνέβαινε καιρὸς τοῦ δικάζειν, ἤρχοντο πάντες οἱ δικασταὶ εἰς τὴν ἀγοράν, κἀκεῖ κλήρους ἔβαλλον· καὶ ὅστις ἂν ἐκληροῦτο κλῆρον ἔχοντα τὸ α, ἀπῄρχετο εἰς τὸ α δικαστήριον· ὁμοίως εἰς τὸ β καὶ τὰ ἑφεξῆς

---

8) ἔθος γὰρ Ravennas.

9) Sic Ravennas. τῶν πέντε τὸν ἔνατον Ald. et J. Ego vero malim τῶν πεντήκοντα ἕνα τὸν. —

10) Sic Ravennas. ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν οὖν vulgo.

11) Sic HEMSTERHUSIUS pro καὶ τὸ ψήφισμα, ὅ ἐστιν ὁ κλῆρος. MATTHIAE p. 255 not. „Quot judicia coirent, τῷ ψηφίσματι definiebatur. Demosth. in Timocr. p. 702, 25. sicut ipse judicii locus. Id. in Mid. c. 14.“ Hujus moris Scholiasta intempestive recordatus est. Nisi forte κατὰ τὸ φήφισμα inscite dixit, quum vellet jussu et auctoritate thesmothetarum. Inscitius etiam Scholiasta ad Vesp. 775 de thesmothetis: ἀρχῆς δὲ ὄνομα, ὧν τοῖς ψηφίσμασιν ἐχειροτονοῦντο οἱ δικασταί.

12) Fortasse Scholiastae error pro δημοσίων, quod ipsum reponebat HEMSTERHUSIUS.

12) Ravennas, ὅμοιον ἄλλο β. ἄλλο δὲ γ. καὶ δ. ἐς τὸ ε. καὶ τοῦ ἕως τοῦ κ. Sententia clara est.

14) Sic Ravennas; τὰ δικαστήρια Ald. et Junt. et om. τὰ πάντα.

15) ἕκαστος καθ' ἓν] ἕκαστος καθ' ἕκαστον omnes, etiam Ravennas.

Digitized by Google

ἀπήρχοντο.[16]) καὶ πρῶτον μὲν ἐδείκνυε τῷ κήρυκι τοῦ δικαστηρίου τὸν κλῆρον τοῦ στοιχείου· ὁ δὲ κήρυξ λοιπὸν ἐδίδου αὐτῷ τὸ πινάκιον αὐτοῦ καὶ τὴν ῥάβδον, εἶτα οὕτως ἐδίκαζεν. εἰ δέ τις δικαστὴς εἰσῄει μὴ κληρωθεὶς εἰς τὸ δικαστήριον, διαφόρως ἐζημιοῦτο. Ἄλλως. ἔρχεται ἕκαστος, εἰς τό * *[17]) πινάκιον ἔχων ἐπιγεγραμμένον τὸ ὄνομα αὐτοῦ καὶ πατρόθεν, καὶ τοῦ δήμου, καὶ γράμμα ἕν τι μέχρι τοῦ κ, διὰ τὸ πάλαι δέκα φυλὰς εἶναι Ἀθήνησι· διῄρηντο γὰρ κατὰ φυλάς. εἶτα οἱ θεσμοθέται κατὰ φυλὴν ἕκαστος, καὶ ἐνδέκατος[18]) ὁ γραμματεὺς ἐκλήρουν τὰ γράμματα μέχρι τοῦ κ. καὶ τὰ λαχόντα[19]) ἴσα τὸν ἀριθμὸν τοῖς μέλλουσι κληροῦσθαι δικαστηρίοις ὑπηρέτης φέρων ἐτίθει καθ' ἕκαστον δικαστήριον ἕν· εἶτα πάλιν ἀπεκληροῦντο οἱ τὰ εἰληχότα γράμματα ἔχοντες, τίνες δικάσουσι, καὶ τίνες οὔ. τοῦτο οὖν ἐστιν,

---

16) Sic HEMSTERHUSIUS pro ἐφεξῆς· ἀπήρχοντο δὲ καὶ πρῶτον μὲν (μὴν Juntina) ἐδείκνυε. τῷ etc.

17) Excidit locus. *Δικαστήριον* inseruerunt KUSTERUS et HEMSTERHUSIUS, quos errasse vere monuit DOBRAEUS, SCHOEMANNUS autem p. 9, 10. imprudens sequutus est.

18) *δέκατος* LUZACIUS de Socrate p. 70, MATTHIAE p. 255 et SCHOEMANNUS p. 12. Ita sane quum res ipsa exigit, tum loquutus est Scholiasta ad Vesp. 775 *ἐπειδὴ Θεσμοθέται καὶ δέκατος ὁ γραμματεὺς κληροῦσι τοὺς δικαστάς, τοὺς τῆς αὐτῆς φυλῆς ἕκαστος.* At scholiasta noster, grammatico ipso hic minime perspecto, in eundem errorem incidisse videtur cum collega suo ad Vespas, qui mox ita pergit: *εἶχον* (*εἶπε* V. i. e. *εἶχε*) *δὲ καὶ ἑκάστη φυλὴ ἕνα Θεσμοθέτην καὶ γραμματέα* (*πρὸς ἕνα* tantum V. pro *ἕνα — γρ.*? Hinc tamen fortasse scribendum est, *καὶ γραμματέα πρός, εἰς τό.* — Cf. formulam *καὶ μικρόν τι πρός*, Demosth. in Philipp. I, 28, 5., in Androt. 60, 7 B. Lucian Catapl. c. 8. Nisi forte alii scribebant *εἰς τό* —, alii *πρὸς τὸ* —.) *εἰς τὸ τοὺς νόμους εἰσηγεῖσθαι.* Igitur scholiasta, quum aliorum exemplo novem Archontes Thesmothetarum nomine designaret, calculos male subduxit, decem archontes numerando pro novem, scribam autem undecimum pro decimo. Consideranti enim verba, *οἱ Θεσμοθέται κατὰ φυλὴν ἕκαστος, καὶ ἐνδέκατος ὁ γραμματεὺς* tanta videatur necesse est in ipso errore constantia, ut repudiari debeat atque explodi conjectura SCHOEMANNI *οἱ Θεσμοθέται καὶ δέκατος ὁ γραμματεύς, κατὰ φυλὴν ἕκαστος* —. Ea vero scholiastae id supponit, quod olim fuerat grammatici. Ceterum non dubito, quin unumquodque judicium suum sibi habuerit scribam (*γραμματέα*) numerusque scribarum omnium fuerit denarius. Hoc et res ipsa postulat et apparet e schol. Nub. v. 737 *ὁ τοῦ δικαστηρίου γραμματεύς*, et e Schol. Vesp., ubi singulis tribubus singuli assignantur scribae.

19) *τὰ λαχόντα* MATTHIAEUS l. l., SCHOEMANNUS, DOBRAEUS certatim pro *τὸν λαχόντα.*

Digitized by Google

ὁ λέγει, ἀμείψας τοῦ γελοίου χάριν. ἀνθυπήλλαξε[20]) γὰρ εἰπὼν ἐν τῇ σορῷ, δέον ἐν τῇ Ἡλιαίᾳ. ἐγράφοντο δὲ οὕτως· εἰ[21]) ἦν πέντε δικαστήρια, ἐκληροῦντο πέντε γράμματα[22]) ἀπὸ τοῦ α ἕως τοῦ ε. εἶτα τὸ πρῶτον α ἐνεχθὲν[23]) ἐπὶ τοῦ α προετίθετο δικαστηρίου, ὡς ἂν ἔτυχεν, καὶ οἱ δικάζοντες ἐκληροῦντο, εἰς οἷον ἕκαστος λάχῃ δικάσαι. τοῦτο δὲ ἐγίνετο, ἵνα μὴ διαφθείρῃ τις τὸ δικαστήριον, ἀκρίτως ἐρχομένων τινῶν χωρὶς κλήρου εἰς τὸ δικαστήριον δικάσαι. τὸ δὲ, ὁ Χάρων τὸ ξύμβολον δίδωσι, τοιοῦτόν ἐστι· τοῖς λαχοῦσι δικάσαι εἰσελθοῦσιν ἑκάστῳ σύμβολον δίδοται δημοσίᾳ[24]) παρὰ τῆς ἐπὶ τούτων[25]) εἰληχυίας ἀρχῆς, ἵνα ἐξιόντες καὶ τοῦτο προσφέροντες λαμβάνοιεν τὸν δικαστικὸν μισθόν. εἰπὼν οὖν σορὸν, ἐπήγαγε χάριν. δέον δὲ εἰπεῖν ὁ Ἄρχων τὸ σύμβολον δίδωσιν, οἷς ἐστιν[26]) ὁ μισθὸς δικαστικός, εἶπεν ὁ Χάρων, ὡς γερόντων αὐτῶν, καὶ μελλοθανάτων.[27])

---

20) Ἀμείβειν, ὑπαλλάττειν (ut Hesych. s. Ἐκ Μελίτης μαστιγίας, Ἀριστοφάνης ἐν Βατράχοις ὑπήλλαξεν —.), ἀνθυπαλλάττειν, παρ' ὑπόνοιαν παίζειν Comicos tum dicunt grammatici, ubi illi commotam expectationem subito fallunt et per risum jocumque silvis appingunt necopinato delphinum, ea copulando, quae per se non cohaerent. In qua re, primum ingeniose excogitata, tum ad rationem quodammodo probabili, nec cetera artis experte, omnis consistit natura ridiculi. Atque sic visum est Aristophani et Plauto, summis Comicis, neque his magis, quam optimis quibusque satirarum auctoribus.

21) ἐγράφοντο δὲ οὕτως· εἰ DOBRAEUS pro ἐγράφοντο δέ, ὅτι, ἐπεί.

22) πέντε γράμματα HEMSTERHUSIUS et DOBRAEUS pro πέντε γραμματεῖς

23) α ἐνεχθὲν correxi pro ἀνενεχθέν.

24) σύμβολον δίδοται δημοσίᾳ scripsi pro σύμβολα δίδοται δημόσια.

25) ἐπὶ τούτῳ HEMSTERHUSIUS.

26) οἷς ἐστιν Vulgo ἅς ἐστιν.

27) „Quae post haec in Scholio nostro leguntur: ἐγράφοντο δὲ ὅτι, ἐπεὶ ἦν πέντε δικ. κ. τ. λ., ea mihi neque integra esse videntur, sed aliquot verbis in principio mutilata, neque ejusdem auctoris, cujus sunt priora, neque vero illius pretii. Rursus melioris notae haec sunt: τὸ δὲ ὁ Χάρων τὸ ξύμβολον δίδωσι κ. τ. λ., pessimae autem, quae his subjunguntur: δέον δὲ εἰπεῖν κ. τ. λ. Haec omnia e diversis auctoribus nullo judicio consarcinata sunt.“ SCHOEMANNUS p. 13 not. Nunc, levibus aliquot vitiis emendatis apparet, ut spero, haec et integerrima esse, et unius omnia scholiastae, denique auctoritatem singulorum apud nos esse debere propemodum parem. Scholion Juntinae hoc habeto: δέκα δικαστήρια ἦσαν παρ' Ἀθηναίοις, τὸ μὲν φόνου, τὸ δὲ μοιχείας, τὸ δὲ ἑτέρου τινός. οὐσῶν δὲ καὶ ι (ιδ' Junt.) φυλῶν, ἐξελέγοντο ἐξ ἑκάστης φυλῆς ἕνα ἄνδρα, καὶ ἕκαττον αὐτοὺς εἰς τὰ τοιαῦτα δικαστήρια κριτὰς εἶναι· πλὴν ἔγραφον πρότερον τὰ

Digitized by Google

v. 278. *περὶ τοῦ παραδιδομένου τοῖς εἰσιοῦσιν εἰς τὸ δικαστήριον συμβόλου Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ οὕτω γράφει· τοῖς γὰρ δικαστηρίοις χρῶμα ἐπιγέγραπται ἑφ' ἑκάστῳ ἐπὶ τῷ σφηκίσκῳ τῆς εἰσόδου. ὁ δὲ λαβὼν τὴν βακτηρίαν βαδίζει εἰς δικαστήριον τὸ ὁμόχρουν μὲν τῇ βακτηρίᾳ, ἔχον δὲ τὸ αὐτὸ γράμμα, ὅπερ ἐν τῇ βαλάνῳ. ἐπειδὰν δὲ εἰσέλθῃ, παραλαμβάνει σύμβολον δημοσίᾳ παρὰ τοῦ εἰληχότος ταύτην τὴν ἀρχήν.* Igitur primum quoque scholium ab antiquo grammatico profectum esse, satis testatur Ravennas. Grammatici autem

---

τῶν ἀνδρῶν ὀνόματα, καὶ κλήρου γινομένου, ὁ μὲν εἰς τοῦτο, ὁ δὲ εἰς ἐκεῖνο δικάζειν ἐλαγχάνει (sic HEMSTERHUSIUS et liber Poggianus. Juntina *ἐλάμβανεν*). *ἐδίδου δὲ ὁ κήρυξ αὐτοῖς ῥάβδον, ἥτις ἦν σύμβολον τοῦ δικάζειν, ἵνα ἕκαστος καθ' ἑσπέραν ἀποδιδοὺς τῷ πρυτάνει τὴν ῥάβδον τριώβολον λαμβάνῃ μισθὸν τῆς δικάσεως. ἀντὶ οὖν* (*οὖν* addit liber Poggianus) *τοῦ εἰπεῖν ἐν τῷ δικαστηρίῳ τὸ γράμμα σου λαχὸν* (sic liber Poggianus. ut dubitanter HEMSTERHUSIUS. Juntina *λαχών*) *δικάζειν καὶ διὰ τοῦτο καὶ* (om. liber Poggianus) *ὁ κήρυξ δίδωσί σοι τὸ σύμβολον, ὃ δὲ σκώπτων αὐτοὺς ὡς γέροντας καὶ ἐγγὺς θανάτου ὄντας φησίν, ἐν τῇ σορῷ καὶ ὁ χάρων. ἔστι δὲ ἡ σύνταξις σολοικοφανής· λαχόντος γὰρ τοῦ γράμματός σου ὤφειλεν εἰπεῖν· ὁ δὲ εὐθεῖαν ἔθηκεν ἀντὶ γενικῆς, Ἀττικῷ ἔθει χρησάμενος· ἔθος γὰρ τοῖς Ἀττικοῖς οὕτω ποιεῖν, ἐπὶ μέντοι τῶν* (sic liber Poggianus. *ἐπὶ μὲν τῷ τῶν* Juntina. Male GELENIUS, HEMSTERHUSIUS alii *ἐπὶ τῶν*. Nempe hoc dicitur in paucorum Codicum scripturam *λαχὼν* et pro vulgata *λαχόν*.) *οὐδετέρων μετοχῶν. ἔστιν οὖν ἡ σύνταξις καὶ ἡ διάνοια τοῦτου* (haec quatuor verba om. Poggianus) *αὕτη. λαχόντος τοῦ γράμματός σου δικάζειν σε ἐν τῇ σορῷ, ἤγουν ἐν τῷ δικαστηρίῳ, σὺ οὐ βαδίζεις, ὁ δὲ χάρων, ἤγουν ὁ κήρυξ δίδωσί σοι τὸ σύμβολον τοῦ κριτὴν εἶναί σε* (hoc add. Poggianus) *τουτέστι τὴν ῥάβδον. πάνυ δὲ ἀστείως καὶ τὸν κήρυκα Χάροντα* (sic Poggianus et Hemsterhusius. *Χάρων* Juntina) *ὠνόμασεν· ὁ γὰρ Χάρων κατὰ ἀναγραμματισμὸν Ἄρχων λέγεται.* Recte narrat, decem fuisse apud Athenienses judicia, quorum in aliis alias causas dijudicatas esse. Quum vero accepisset, e singulis tribubus parem judicum numerum electum esse, auctorem suum non assequutus ridicule dixit *ἐξελέγοντο ἐξ ἑκάστης φυλῆς ἵνα ἄνδρα*, proinde quasi non plus decem fuissent judices universi. Pessime autem opinatur scipionem a tessera non diversum fuisse, eumque judicibus a praecone traditum esse, ut eo vesperi reddito mercedem a prytani acciperent. Tessera reddebatur, non scipio, reddebatur autem colacretis, non prytanibus, quorum in judiciis omnino nullae partes erant, etsi BOECKHIUS Oecon. Athen. I. p. 253 hunc errorem suscipere non dubitavit. Quod autem Charontem tum praeconem interpretatur, tum ad archontis nomen alludere ait, miscuit duas versus Aristophanii explicationes, quarum altera, adhuc omnibus probata, ferri nullo pacto potest.

Digitized by Google

non usque eo desipiebant, ut in singulis judiciis homines singulos judicasse traderent: quanquam SCHOEMANNUS aliique de hac re sibi persuaserunt. Erravit ille quidem in eo, quod de ephetis loco disseruit alieno, sed quae de iis attulit, vera sunt. Bene vero Sigonius (De Rep. Athen. III, 3) de Ephetis sermonem esse intellexit. Restat, ut corrigatur *καὶ πάλιν ἐκ τῶν πεντήκοντα ἕνα τὸν κλήρῳ λαχόντα ἐποίουν δικάζειν*, quo ducit lectio Aldinae Juntinaeque *ἐκ τῶν πέντε τὸν ἕνατον*. Hoc enim vult: ex singulis tribubus quini viri sumebantur nobiliores, ac rursus ex illis quinquaginta universis unus eligebatur, qui judicio praeesset. Rectius autem hunc unum de reliquorum numero exemisset: nam in hoc quoque tribunali, ut in reliquis, impar judicum numerus quaesitus est, ne suffragia existerent paria: *Ἐφέται, τὸν μὲν ἀριθμὸν, εἷς καὶ πεντήκοντα*, inquit Pollux VIII, 124. Itaque patet, neque delirasse grammaticum, et hoc scholium multum valere debere, quippe in quo ephetarum electio, quae qualisque olim fuerit, explicetur, eamque plane ut heliastarum sortitionem, tributim factam esse. Denique de ephetis loqui grammaticum declarant verba *ἐλάμβανον ἄνδρας πέντε τοὺς ἐπισημοτέρους*: ephetae enim, ut Pollux quoque prodidit, non sorte capi solebant, sed viritim deligi, idque *ἀριστίνδην*: tametsi sortitionem nescio quo pacto immiscuit. Non rectius SCHOEMANNUS Scholiastam ad Plut. v. 973 ejusdem erroris participem sociumque esse voluit, quem dicere *δέκα γὰρ οὐσῶν φυλῶν, δέκα ἐγράφοντο δικασταί*. Nam et hic reponendum esse *ἐγράφοντο δικαστήρια* et apud Suidam *δέκα γὰρ φυλῶν οὐσῶν, δέκα ἐγένοντο δικαστήρια* pro *δικασταί* ex Apostolio intelligitur, in quo perspicue scriptum est *δέκα γὰρ φυλῶν οὐσῶν, δέκα ἐγίνετο δικαστήρια*, haud improbante id HEMSTERHUSIO. Quamobrem gravissima secundi scholii verba, *δέκα γὰρ ἦν δικαστήρια τὰ πάντα ἐν Ἀθήναις*, quae etiam in libro Ravennate leguntur, trium praeterea aliorum hominum fide confirmari videmus. Ea res Scholiastam Juntinum, quamvis ne ipsi quidem ignota (*δέκα δικαστήρια ἦσαν παρ' Ἀθηναίοις*, inquit), ad hanc tamen fraudem impulit, ut fabulam narraret ridiculam *οὐσῶν δὲ καὶ ἑ φυλῶν ἐξελέγοντο ἐξ ἑκάστης φυλῆς ἕνα ἄνδρα*, nisi forte dicere sibi visus est *ἀνὰ ἕνα ἄνδρα*, id est, ex quavis tribu totidem viros ad judicandum electos esse. Ab

Digitized by Google

initio scholii secundi Athenis multa fuisse judicia dicuntur. At fuerunt justo pauciora. Nam ingeniosus iste optimatum fautor De Rep. Athen., ubi agit simulatque popularem, III, 7. Athenienses hoc nomine, et merito quidem, reprehendit, quod in tanta judicum multitudine propter dies festos nimis multos, dicasteria autem sane pauca, in quibus quingeni judices, nonnunquam milleni aut plures coarctati sedebant[28]), multae causae ne omnino quidem disceptari in judiciis potuerint. *Φέρε δή, ἀλλά φησί τις*, inquit, *χρῆναι δικάζειν μέν, ἐλάττους δὲ δικάζειν. Ἀνάγκη τοίνυν, ἐὰν μὲν πολλὰ* (sive tu malis *ἐὰν μὴ ὀλίγα*) *ποιῶνται δικαστήρια, ὀλίγοι ἐν ἑκάστῳ ἔσονται τῷ δικαστηρίῳ, ὥστε καὶ διασκευάσασθαι ῥᾴδιον ἔσται πρὸς ὀλίγους δικαστάς, καὶ συνδεκάσαι πολὺ ἧττον δικαίως δικάζειν* et quae sequuntur. Narrat deinceps scholiasta in aliis causas tractatas esse *δημοτικάς*: quas sive publicas explices cum Hemsterhusio, sive cum Schoemanno civiles, id quod magis placet: illud manebit, justos tantummodo judicum consessus, loca et publica et huic ipsi rei destinata, in judiciis numerari, omnes autem eos locos segregari debere, in quibus archon aliquis aliusve magistratus privatim jus diceret. Caedis vero judicium unum, Areopagum ex illo numero excerpendum esse Petitus Schoemannusque censent idcirco, quoniam Scholiasta omnibus X dicasteriis heliasticos judices attribuit, quod sane ab Areopago longe abhorret. At primum quidem, si Areopagum exceperis, judiciorum publicorum numero denario unum deerit, tum vero admodum probabile est, Areopagum minus etiam, quam caeteras curias, singulari quadam litera caruisse eumque ut dignitate ac tempore ipso primum, ita literam quoque habuisse primam, *Ἄλφα*: qua in re convenit mihi cum Meursio, Areopag. c. XI. Etsi Meursius auctorem hujus sententiae novit nullum neque ego in promptu habeo nisi unum, quem utcunque, vilem, nominabo tamen, scholiastam Leidensem ad Plut. 1167. *ἐν μὲν τῷ τοῖ Ἀρεοπάγου δικαστηρίῳ πρὸ τῶν θυρῶν ἐπεγέγραπτο α' ἐν δὲ τῇ ἡλιαίᾳ η' ἐν δὲ τῷ ἐν Φρεαττοῖ δ', καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς ὡσαύ-*

28) *Συμβεβυσμένοι πυκνὸν νεύοντες εἰς τὴν γῆν μόλις ὥσπερ οἱ σκώληκες, ἐν τοῖς κυττάροις κινούμενοι.* Aristophanes, in Vespis v. 1110.

Digitized by Google

τως. Cui homini non ego fidem plane derogaverim, ut fecit HEMSTERHUSIUS, verum et illud credo, Areopagum Alpha dici solitum esse, et primas literas judiciis de caede inscriptas: haec enim civilibus longe vetustiora erant, quippe quorum memoria jam usque a Dracone repetita esset. At judicium ἐν Φρεαττοῖ ε', Heliaeam autem ζ' appellatam esse potius conjicio. Quod igitur Scholiasta secundus ac tertius τὸ α' δικαστήριον sive Areopagum immiscentes decem fuisse tribunalia dicunt, in quae judices sorte legerentur, quodque alius homo ad v. 1168 ita scribit: βούλονται δὲ καὶ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ, βούλονται δὲ καὶ ἐν ἄλλῳ δικαστηρίῳ ἀναγράφεσθαι (quem HEMSTERHUSIUS caeteroqui jure castigat): vix alia re, ut sortitionem cum Areopagitis communicarent, induci potuerunt, atque eo, quod Areopagum quoque litera notatum esse intellexissent. Sed SCHOEMANNUS (quem vide p. 6. 7. atque p. 33. 34.) urget acrius, quaeritque serio, an quatuor Ephetarum tribunalia hocce numero concludi debeant: quibus quidem una cum Areopago demtis et de medio sublatis, judicia φονικὰ omnino nulla relinquentur. Sic autem statuit (ut in pauca conferamus), Demosthenis aetate altera duo ex his foris, τὸ ἐπὶ Παλλαδίῳ et τὸ ἐπὶ Δελφινίῳ heliasticis judicibus tradita fuisse: quibus hoc numero comprehensis quum octo alia restent, plura tamen, quam decem exstitisse judicia, certum sibi deliberatumque esse: etsi, quotnam illa fuerint, demonstrari nullo modo possit. Attamen ne illa quidem in Palladio et Delphinio judicia Ephetis plane erepta fuisse: quo in genere quaenam Ephetas inter atque Heliastas ratio intercesserit, neminem facile dicturum, certe quidem se id statutum non habere. Duo autem altera fora, τὸ ἐπὶ Πρυτανείῳ et τὸ ἐν Φρεαττοῖ, non dubitare sese, quin Ephetis solis relicta fuerint. Haec SCHOEMANNUS, eo doctius fortasse, quod KREBSII de Ephetis dissertationem evolverat, quae in nostras manus non pervenit. Nihilominus tamen ullam partem veri eum vidisse, pernegamus. Sciunt omnes, qui quidem in legendis scriptoribus atticis multum studii posuerunt, tam raro ab iis Ephetarum mentionem factam esse, ut, nisi postea grammaticorum graecorum opera accessisset, vix haberemus hodie, quod de Ephetis dicendum nobis esse putaremus. Fortuito autem de tanta re tot scriptores tacuisse, nemo interpretabitur omnesque intelligent, hoc

Digitized by Google

eo accidisse, quod Ephetarum magistratus illorum aetate scriptorum jam prope ad nihilum recidisset. Praeclare vero MATTHIAEUS, hoc ipso silentio, ut opinor, offensus, Ephetarum auctoritatem Solonis legibus imminutam esse conjecit, p. 158, vel dicam potius, ut in re haud dubia, perspexit. Ac licebit etiam longius progredi. Ubicunque in illis quatuor foris ephetae judicasse feruntur, velut apud Harpocrationem p. 79. Photiumque 41, 20., unice id ad Draconis tempora referendum est. Enimvero Solon (quod praefiscine dixerim) unum omnino judicium, *τοὐπὶ Παλλαδίῳ*, Ephetis relinqui fecerat, ut apparet tum e *Λέξεσι Ῥητορικαῖς* Bekkeri p. 257, 23 et maxime p. 311, 8. *Ἐπὶ Παλλαδίῳ — δικάζουσι δὲ ἐν τούτῳ οἱ ἐφέται*, quum quidem de tribus reliquis nihil ejusmodi additum sit, tum e Pausania apud Eustathium 1419, 54. Quin etiam scriptores ipsos amice in eam rem consentire, planum facient primo leges veteres ap. Demosth. in Macart. 57, 6 — *κτείνῃ δ' ἄκων, γνῶσι δ' οἱ πεντήκοντα καὶ εἷς [ἢ οἱ ἐφέται] ἄκοντα κτεῖναι*, in quibus verbis judicium, nisi *τοὐπὶ Παλλαδίῳ*, contineri nullum potest, tum vero plebiscitum ap. Andoc. de Myster. 78, 9, *ἢ ἐξ Ἀρείου πάγου ἢ τῶν ἐφετῶν ἢ ἐκ Πρυτανείου ἢ Δελφινίου ἐδικάσθη ἢ ὑπὸ τῶν βασιλέων*, ubi *τῶν ἐφετῶν* nihil differre ab *ἐκ τοῦ ἐπὶ Παλλαδίῳ*, atque *ὑπὸ τῶν βασιλέων* nihil ab *ἐκ τοῦ ἐν Φρεαττοῖ* luce est clarius. Cum h. l. compara *Ἄξονας* in Plutarch. Solone c. 19 *πλὴν ὅσοι ἐξ Ἀρείου πάγου ἢ ὅσοι ἐκ τῶν Ἐφετῶν ἢ ἐκ Πρυτανείου καταδικασθέντες ὑπὸ τῶν βασιλέων —*, ubi ut Delphinium justa de causa praeteritum est, ita *ἢ* inserto scribendum arbitror *ἢ ὑπὸ τῶν βασιλέων*, nisi tamen Plutarchus ipse lapsus est, abs quo deinceps tantummodo *οἱ Ἀρεοπαγῖται καὶ Ἐφέται καὶ Πρυτάνεις* commemorantur. Ceterum Solon ut praeter caetera Palladium Ephetis concederet, fortassis eo commotus est, quod hoc forum vel sub Dracone Ephetarum maxime proprium ac suum fuerat, Polluce VIII, 125 auctore, *δοκοῦσι δ' ὠνομάσθαι, ὅτι πρότερον τοῦ βασιλέως τοὺς ἐπ' ἀκουσίῳ φόνῳ κρινομένους ἐξετάζοντος, ὁ Δράκων τοῖς ἐφέταις παρέδωκε τὴν κρίσιν —*. Verum enim ex illis locis minime sequitur, Demosthenis aetate in Palladio unos judicasse Ephetas. Nam quum leges Solonis in universum diu valerent, et singulae tantum partes derogando abrogandoque sub-

Digitized by Google

inde mutarentur, tum cum ipsis legibus verba etiam legum retinebantur, quamvis non omnes formulae ad seriora tempora aptae essent potiusque nonnullae vero haud consentaneae. Igitur haud multo post Solonem Palladium etiam Ephetis ademtum esse (quod tamen postea quoque antiquo nomine *τὸ τῶν ἐφετῶν δικαστήριον* appellari poterat), indicio sunt Isocrates atque Demosthenes, ille in Callimach. 54, 4., ubi causa caedis ab invito commissae, imo non commissae, in Palladio a septingentis judicibus cognoscitur, quos heliastas fuisse necesse est, hic, vel potius persona ejus, loco ceterum non minus perspicuo, in Neaer. 10, 9., ubi judices *ἐπὶ Παλλαδίῳ* sedere videmus quingentos.[29]) Neque vero paullo post Solonem Ephetae penitus sublati sunt, sed cum quadam specie honoris nec sine ulla auctoritate diutius in republica resederunt. Traducebantur autem ad alia caedis judicia verbi causa ad Delphinium, inque eis leviora judicum negotia gerebant, fortasse etiam in Palladio una cum judicibus heliasticis aliquoties sedebant, dignitate ornati paullo majore. Equidem vel ex uno loco Demosthenis in Aristocrat. 37. 5., ubi lex profertur post Solonem scripta (vide ibidem 28, 7,) eaque talis, quae neque alioqui maximi sit ponderis, neque usum habere potuerit, nisi perraro, intelligere videor, quam parum illa aetate efficere Ephetae potuerint. Sed plurimum tribuo Pollucis verbis, qui hic auctores fide dignissimos sequutus est, VIII, 125 *κατὰ μικρὸν δὲ κατεγελάσθη τὸ τῶν ἐφετῶν δικαστήριον* (id hic non est Palladium, sed omnino potestas Ephetarum). Ubi quum Codex Vossianus uno verbo auctius pro-

29) Vulgo ibi legitur *ὀλίγας ψήφους μεταλαβὼν ἐκ πεντακοσίων ἀνδρῶν*, quod retinuit BEKKERUS. Sed plerique Codices, etiam optimus ille Parisinus, *δραχμῶν* substituunt, scripturam sane ridiculam, unus praeterea in *γρ* habet *δικαστῶν*. Quodsi libri veteres paullo constantius aut *ἀνδρῶν* tuerentur, aut *δικαστῶν*, utrumvis horum comprobarem, quia utrumque ad sententiam congruere video. Nunc quum novem circiter Codices *δραχμῶν* absurdum genitivum praebeant, facere non possum, quin omnes Genitivos in Codicibus propagatos *ἀνδρῶν*, *δραχμῶν*, *δικαστῶν* pro scholiis habeam eosque conjecturae ope deleam, REISKIUM sequutus, qui idem recte verbum *ψήφων* ad Genitivum *πεντακοσίων* tacite adhibitum vult: nam scholiastae isti librarii turpiter errarunt omnes. Discant autem, quorum interest, hoc optimo REISKII exemplo, ne unum quidem verbum ejicere Critico licere, nisi argumentis prolatis, et post diuturnam cogitationem.

Digitized by Google

didisset κατελύθη κατεγελάσθη, probarunt id, copula καί interjecta, KUEHNIUS, JUNGERMANNUS, SPANHEMIUS, HEMSTERHUSIUS. Hi quam mallem lectionem defendissent vulgatam. Namque κατελύθη non solum glossema est, verum etiam ineptum glossema; neque fracta est paullo post Solonem (praecedit autem Σόλων δ' αὐτοῖς —) Ephetarum potestas, sed paullatim magis magisque imminuta, ut propemodum in ludibrium abiret. Hoc voluit Pollux. Quae cum ita sint, omnia IV fora, quae vulgo dicuntur Ephetarum, judicibus heliasticis assignabimus, etiam Palladium; neque aliter numerus *denarius* tribunalium constabit. Tum dicit Scholiasta, unum quodque horum judiciorum a caeteris etiam eo distinctum esse, quod certum, singulare, privum [30]) nomen haberet literarum; aliud enim alpha nominatum esse, beta aliud, aliud gamma et sic porro usque ad kappa. Quam sententiam ne cavillari quidem licet, nedum addubitare, primum ideo, quod forum judiciale verbo γράμμα declaratur in Pluto v. 972 et v. 1167 et in Ecclesiaz. 683, tum idcirco, quia tria judicia his nominibus τὸ βῆτα, τὸ θῆτα, τὸ κάππα in Ecclesiazusis 684 sqq. afferuntur, denique etiam propterea, quod Aristoteles, cujus verba supra posui, judicium et summum bacillum una eademque litera ornari solita refert. Quod autem ante fores singulorum judiciorum elementum, quo quodque appellaretur, rubro colore scriptum esse fertur, sic existimo, his verbis genere toto fidem habendam esse, nisi quod de duabus vocalis πυῤῥῷ βάμματι quid sentiendum sit, non liquet. Nam quum constet ex Aristotele, unicuique foro certum quendam colorem in fastigio introitus appictum fuisse (quem ne cum litera ipsa temere confundas, providebis [31]): plane enim χρῶμα et γράμμα differebant): non placet, tincturam literarum omnium rufam fuisse, sed potius arbitror, literae colorem cum colore judicii semper convenisse, punicei coloris literam in judicio

30) Nam hoc valet εἰδικὸν ὄνομα, cujus adjectivi vim SCHOEMANNUS se perspicere negat.

31) Hic error MEURSIO obrepsit l. l., cujus haec verba sunt: „Sed tinctura omniumne (tribunalium) rufa fuit? Non existimo; et errare Scholiasten: nam ut litera singula distinguebantur, sic colore; quem et baculi referebant." At Scholiastes non de tribunalium colore loquitur, sed de literarum.

Digitized by Google

Φοινικιοῦν dicto propositam fuisse, in *Βατραχιοῦν* autem viridis coloris, similiterque in caeteris. Jam nescio quid monstri alit proximus locus, in quo cuique judici denae tabellae et deni scipiones palam assignantur: quo pacto, si quis rationem putare voluerit, conficientur scipionum, quos universi judices tenerent, sexaginta millia, et tabellae totidem At si quis forte a se impetret, ut tantae insaniae crimine doctum oneret grammaticum, ei satis habeo opposuisse haec verba *εἶχε δὲ καὶ ῥάβδον ἅμα τῷ πινακιδίῳ καὶ ἐν αὐτῇ δὲ τῇ ῥάβδῳ ἦν τὸ ὄνομα τοῦ δικαστηρίου ἐγγεγραμμένον*, quae vel sola docere poterunt, emendationem meam *ἕκαστος καθ' ἓν δικαστήριον* (editum est autem *καθ' ἕκαστον*) nihil habere dubitationis. Nunc *καθ' ἓν* restituto sententia nascitur et plana, et omnino vera: Judices omnes, pro suo quisque judicio, habebant unam tabellam, inscriptam nomine quum judicis, tum etiam judicii. Praeterea unum habebant scipionem nomine (id est litera) judicii notatum. Quid Schoemannus? Is primum cachinnos tollit, maxime in verbis *καθ' ἕκαστον δικαστήριον*, quae emendare cujusvis erat, Scholiastaeque auctoritatem nullam dicit, tum in Petitum illudit, quem hic correctione quadam adhibita sequi debebat, deinde tertium ridet, plane *μέγ' ἀχρειογέλως*, postremo, ubi se paullum collegit, intelligere sibi videtur, scholiasta auctore, in quotidianis sortitionibus nomina judicum ad unum omnium in sortem conjecta ac singillatim educta esse: quamobrem Scholium secundum tantum non omne contemnit atque repudiat. Adeo in ista Schoemanni dissertatione, quidquid attigeris, ulcus est. Posthac Vir Egregius in meam sententiam, ut spero, concedet, atque ita statuet, horum scholiastarum secundum (qui grammatici mentem plerumque assequutus erravit in paucis) de annua sortitione loquutum esse, de quotidiana autem tertium. Namque apud secundum judices veniunt *εἰς τὴν ἀγορὰν*, apud tertium incertum quo, sed alio *εἰς τὸ* (locus ipse intercidit), apud secundum a praecone demum accipiunt tabulam et scipionem, apud tertium tabellam jam domo afferunt, apud secundum judices omnes ac singuli sortiuntur et sortiti in suum quisque judicium discedunt, at apud tertium non singuli homines, sed judicia tota sorti subjiciuntur quotidianae, ut patet

Digitized by Google

legenti verba *ἐκλήρουν τὰ γράμματα μέχρι τοῦ κ'. καὶ τὰ λαχόντα, ἴσα τὸν ἀριθμὸν τοῖς μέλλουσι κληροῦσθαι δικαστηρίοις* et quae sequuntur ab *εἶτα πάλιν* usque ad *τίνες οὔ*, et post *ἐγράφοντο δὲ οὕτως*. De his duobus sortiendi generibus jam paucis exponam, sed seorsum, facto, uti par est, ab annua initio. Hanc e Scholiasta conjicias, in hunc fere modum comparatam fuisse. Certo die cives attici omnes, qui quidem vellent quibusque per aetatem ac famam liceret, in forum veniebant sortitum. Tum ut cuique una litera, fori alicujus index, sortito obtigisset, ita illi foro judex tradebatur. Postremo ubi tabellam suam scipionemque a praecone accepisset,[32]) in unum annum judex rite legitimeque constitutus est. In foro autem, quemadmodum scholiastae placet, annuae sortitioni operam datam esse pro certo affirmaverim, praesertim quum et novem archontes eodem tempore ibi legerentur,[33]) neque ullus locus inveniri posset commodior. Contra male SCHOEMANNUS p. 10. infra quotidianas judicum sortitiones foro assignat, nixus nescio quomodo Scholio nostro et Arist. Ecclesiaz. versu 681

τὰ δὲ κληρωτήρια ποῖ τρέψεις; ΠΡΑ. εἰς τὴν ἀγορὰν καταθήσω.

At ibi Praxagora non quid Athenis vulgo fieri soleat, exponit, sed portenta quaedam *vaticinatur*, quae contra leges institutaque majorum tum primum in lucem editura sit. Sed Scholiastae tria potissimum vitio damus, quod quotidianam sortitionem absurde immiscet in verbis *καιρὸς τοῦ δικάζειν — πάντες οἱ δικασταί*, quod pergens in hoc errore judicem ad forum suum abire jubet atque ibi demum muneris sui insignia a praecone (*τῷ κήρυκι τοῦ δικαστηρίου*) accipere (sine dubio enim judex tum quidem in foro manebat, ibique perfecta sortitione a praecone capiebat tabellam ac scipionem, quae duo judicis instrumenta confudit Graeculus cum tertio, *τῷ συμβόλῳ*, fidem facientibus his verbis *εἶτα οὕτως ἐδίκαζεν*), denique quod Areopagum, si modo id fuit *τὸ α' δικαστήριον*, commemorare non debebat: tametsi enim facile credo, Areopagitarum tabellas *A* litera ornatas fuisse, non tamen

32) Hic complura neglexit Scholiasta. Addidisset saltem, ubi in Ardetto jurasset inque album relatus esset.

33) Magistratus in Pycne electos esse prodit Pollux VIII, 133.

Digitized by Google

illi, ut reliqui judices, sorte capiebantur. Nunc de tabellis breviter disputabo. Habebat autem quilibet civis atticus tabellam sive aeneam, sive buxeam, inscriptam nomine et ipsius et patris et pagi sui, scilicet cum esset ex eorum numero, qui haberi volebant

Ἀττικοὶ μόνοι δικαίως ἐγγενεῖς αὐτύχθονες.

Testatur Hesychius, *χαλκοῦν πινάκιον. Ἀθηναῖοι εἶχον ἕκαστος πινάκιον πύξινον ἐπιγεγραμμένον τὸ ὄνομα τοῦ αὐτοῦ καὶ τοῦ δήμου πατρόθεν* (scr. *αὐτοῦ καὶ πατρόθεν καὶ τοῦ δήμου*, ut Scholiasta tertius, certe *αὐτοῦ* et *καὶ πατρόθεν*). Igitur quicunque judicis personam appetebant, ii tabellas hasce afferebant in forum, quae tum pro sortibus in urnas vel sitellas conjiciebantur. Testibus utor tribus, qui se invicem descripserunt, Harpocratione, Photio, Suida in *Πινάκια*: *τὰ καθιέμενα ἀντὶ κλήρων ὑπὸ τῶν κληρονόμων*· (communis horum grammaticorum error, quem egregie correxit Porsonus scribendo *κληρουμένων*) *ἔοικεν δὲ ταῦτα εἶναι χαλκᾶ, ὡς ὑποσημαίνει Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ τοῦ ὀνόματος.* Et Demosthenes quidem eo in loco (10, 7 B.), quem de tabella aenea judicis falso interpretatur Reiskius, de sortitione magistratuum verba facit, qui de judicibus modo loquutus inde a verbis *πρὸς Διὸς ἐὰν δ'* — ad novam rem accedat ad *ἀρχὴν ἡντινοῦν* magistratum quemcunque: neque enim *ἀρχή* de judicibus dicitur, nisi perraro.[34]). Veruntamen quum eaedem

34) Demosthenis locum longiorem, quum a proposito meo minime abhorreat, apponam: *καὶ τίς ἤκουσε πώποτε ἢ κατὰ ποῖον νόμον προσπαραγράφοιτ' ἂν τοῦτο τὸ παράγραμμα ἢ ἄλλο τι πλὴν ὁ πατὴρ καὶ ὁ δῆμος; — Φέρε, εἰ δὲ κριτὴς* (i. e. *δικαστὴς*) *καλοῖτο* (sc. *ὑπὸ τοῦ κήρυκος*, ut in Ecclesiasusis v. 684.) *Μαντίθεος Μαντίου Θορίκιος, τί ἂν ποιοῖμεν; ἢ βαδίζοιμεν ἂν ἄμφω; τῷ γὰρ ἔσται δῆλον, πότερον σὲ κέκληκεν, ἢ ἐμέ; πρὸς Διός, ἐὰν δ' ἀρχὴν ἡντινοῦν ἡ πόλις κληροῖ, οἷον βουλῆς, θεσμοθέτου, τῶν ἄλλων, τῷ δῆλος ὁ λαχὼν ἡμῶν ἔσται; πλὴν εἰ σημεῖον, ὥσπερ ἄλλῳ τινί, τῷ χαλκείῳ προσίσται.* Proprie igitur nomen ipsius *γράμμα* dicebant, patris vero nomen et populi *παράγραμμα*. Falso Reiskius *τῷ χαλκίῳ* conjicit per iota simplex. Recte vero et attice dicitur *τὸ χάλκειον, το κεράμειον* de tabella aenea et vase fictili, ut Neutrum adjectivi vim habeat Substantivorum *τὸ χάλκιον, τὸ κεράμιον*. Vide locos apud Lobeckium ad Phrynich. p. 147, quibus vir eximius uti nescivit, et adde Polluc. VII, 126 et fragmentum Aristophanis e Cocalo, sic legendum:

Ἄλλαι
ὑποπριοβύτιραι γρᾶες Θασίου μέλανος μίστον κεράμειον

Digitized by Google

tabellae civiles et in magistratuum creatione, quam Demosthenes τῷ χαλκείῳ declaravit, et vero etiam in judicum sortium locum explevisse videantur, tabellas sive sortes judicum aeneas fuisse concedendum est. At non solum Hesychius supra buxeas putat easdem, sed etiam Photius paullo post optionem facit eligendi, πινάκιον: σύμβολον δικαστικὸν χαλκοῦν ἢ πύξινον· ἐν ᾧ γέγραπται τὸ ὄνομα τοῦ κρινομένου (l. τοῦ κληρουμένου cum Dobreo Advers. p. 606) καὶ ὁ δῆμος καὶ τὰ γράμματα ἀπὸ λ (l. ἀπὸ ᾱ cum eodem) ἕως κ· ἦσαν γὰρ δέκα φυλαί. Enimvero si memineris, tabellam cum tessera a grammaticis saepenumero confusam esse, et si Photii verba haec πινάκιον, σύμβολον δικαστικὸν χαλκοῦν ἢ πύξινον accurate contempleris, mecum ita fortasse censebis, videri potius πινάκιον fuisse χαλκοῦν, at σύμβολον πύξινον: certe tabella si aenea fuit, non potuit buxea esse, et contra. Haec fuit sortitionis annuae pars altera, in qua singulas tribus ita sortitas esse conjicio, ut unaquaeque earum una sitella uteretur. Ita quoniam judicum numerus definitus erat ille quidem, sed nondum in certa judicia distributus, accedebat deinceps altera sortitionis pars, quum judices modo lecti unam ex novem literis a *B* usque ad *K* τὸν κλῆρον τοῦ στοιχείου, ut ait Scholiasta secundus, extraherent, ut sciretur, in quo quisque tribunali suo anno, statis quidem diebus, judex sederet. Vide versum luculentum Ecclesiaz. 688 ὅτῳ δὲ τὸ γράμμα | μὴ ᾽ξελκυσθῇ, καθ᾽ ὃ δειπνήσει, τούτους ἀπελῶσιν ἅπαντες. Quo facto tabellae certi judicii litera adjiciebatur. Itaque tabella judicialis, quae a civili unius tantum literae accessione distabat, haec fuit verbi causa

Στρεψιάδης Φειδωνος Κικυννόθεν Θ.

Hac tabella judex, quum unusquisque certo judicio adscriptus esset, per totum annum suum utebatur. Sequitur ex his, et tertium Scholiastam judici sorte jam electo optimo jure tribuisse tabellam notatam nomine ipsius, patris, pagi et unius ex decem (imo, novem) illis literis, et S. Petitum p. 393 aliquid saltem vidisse, quum ita scriberet: „Athenienses qui

---

κοτύλαις μεγάλαις ἔγχεον ἐς τὸ σφέτερον δέμας οὐδένα κόσμον,
ὑπ᾽ ἔρωτι βιαζόμεναι μέλανος ⏑⏑ – ⏑⏑⏑ οἴνου ἀκράτου.

Ἔγχεον dixit pro *ἐνίχεον* metro coactus.

Digitized by Google

vellent judiciis reddundis vacare, nomina sua dabant tabellae inscripta adscripto patris populique nomine: totidem quoque erant tabellae, quarum aliae aliis harum decem literarum essent notatae, pro numero scilicet eorum, qui in hoc vel illo foro essent judicaturi. Atque ita fiebat, ut prout quis, qua hanc aut illam literam sortiretur, ita huic aut illi foro judex traderetur:" — Difficiliores explicatus habet quotidiana sortitio, cujus rationes nunc partim Scholiastae tertii, partim conjecturae ope enucleare conabor. Quod igitur dicit Scholiasta, denarium literarum numerum a decem tribubus atticis derivandum esse, propterea quod judices secundum tribus dividi consueverint: intelligi voluit, Athenis quot tribus, totidem propter id ipsum fuisse dicasteria, omnino decem, eaque κατὰ φυλὰς descripta, ita ut singulis tribubus dicasteria singula conficerentur. Sed etsi constat, denarium numerum, a *X* phylis repetendum, etiam in aliis rebus de solemni more Athenis valuisse, (cf. Meineckius, Q. Sc. II. p. 30 not. 2) tamen, quum novem tantummodo essent *praeter Areopagum* judicia, necesse est, duae tribus de decem universis destinatae fuerint uni de judiciis novem. Et maxime putaverim, in Heliaeam duas tribus confluxisse, vel unam judicum ordinariorum (quod proprie Heliaea quoque viris constaret quingentis), alteram suffectorum, vel potius ordinariorum utramque, quanquam accepimus, Metichi foro non, ut aliis, quingentos, sed mille judices sorte attributos esse[35]): quorum hoc verum sane fuerit, at illud videbitur, credo, haud falsum cogitanti, non plura fora, quam novem, quingenorum singula, sexies mille judicibus sorte concessa esse. Utut ea res sese habuit, vehementer erravit Schoemannus, quum e Scholiasta efficeret, judicum Atticorum decem fuisse centurias pro numero tribuum, literas autem tabellis inscriptas non judicia indicasse, sed centurias. Nempe centuriae istae intelligi fortasse possunt, si judicium unumquodque hoc nomine appellaveris, exempli causa heliastae universi una judicum centuria vocentur (nihil enim repugno): nunc quum Schoemannus *decem* judicia publica non

35) Nisi tamen ita statuas in Meticheo quoque vulgo sedisse quingentos, ceterum hoc forum tam amplum fuisse, ut, si quando unus esset, mille judices caperet.

Digitized by Google

agnoscat, sed numerum eorum incredibiliter augeat, quum judices *tributim* unquam divisa esse, nisi in annua sortitione neget, quum eos quotidie nullo certo ordine modo in hoc, modo in alio foro sedisse dictitet, et quum tamen jactet idem *decem judicum centurias*, quas quidem se primum in lucem protulisse gloriatur, et recte: vix satis cohaerere videtur doctissimi viri oratio. Quo magis miror, SCHOEMANNUM, tanto errore menti offuso, partem veri tamen dispicere potuisse. Sic autem interpretor Scholiastam, hic quidem partim duce SCHOEMANNO. Post annuam sortitionem, quum judices omnes et sortiti essent, et in *X* fora distributi, judicibus singulis a praecone tradebantur singulae tabellae, quas, quum ad quotidianas sortitiones convenirent, secum afferrent, ut cognosci posset, eos quum omnino in ullum annum judices sorte lectos, tum etiam huic, illi, certo denique foro secunda sorte olim adscriptos esse. Ab hac vero tabella accurate discernamus multum sane diversam tesseram, *τὸ σύμβολον*, quae judicibus singulis mane ad januam clathratam in manum tradebatur, ut vesperi ea reddita judicialem mercedem acciperent. Ac manifesto utramque distinxit Scholiastes, qui tabellam (*πινάκιον*) jam domo a judicibus ad sortiendum afferi faciat, sed tesseram (*σίμβολον*) postea demum eis forum jam ingressis publice velit exhibitam. Hoc et animadvertit SCHOEMANNUS, neque tamen ex eo quidquam utilitatis percipere potuit, quum sibi falso persuasisset, primam hujusce Scholii partem atque postremam a duobus hominibus profectas esse. Idem monet, a Polluce VIII, 16. *Σκεύη δὲ δικαστικὰ, σύμβολον, βακτηρία, πινάκιον, πινάκιον τιμητικόν.* duo illa *πινάκιον* et *σύμβολον* seorsum nominari, sed rursus unius codicis lectione, in quo *πινάκιον* semel tantum exaratum est, mire perturbatur. Qui si cogitasset, Codicem illum JUNGERMANNI et sic interpungere *πινάκιον, τιμητικὸν,* et alioquin in deteriorum numero reponendum esse,[36]) et tamen ne optimo quidem codici, ubi

36) Duae Codicum Pollucis, quod sciam, exstiterunt familiae, una eaque longe praestantissima, quae scriptoris manum paene semper conservavit, saepe tamen miris calami erroribus obrutam, Codicis FALCKENBURGIANI; altera multo illa quidem deterior, quamvis ipsa quoque vulgatae scripturae mendis turpissimis praestet, crebro tamen interpolantium temeritatem experta est. Et ad hanc quidem classem revoco Codicem VOSSII, deinde KUEHNII.

Digitized by Google

aliquid praetereat, in loco praesertim ad errorem palam exposito, magnopere confidendum esse, in scriptura divulgata haud dubie acquiesset. Nunc de tessera judiciali paucis absolvam. Hanc eo pertinuisse, ut judicibus data ea redditaque merces solveretur, multi auctores sunt, etiam Scholiasta tertius his verbis: *τοῖς λαχοῦσι δικάσαι εἰσελθοῦσι ἑκάστῳ σύμβολον δίδοται δημοσίᾳ παρὰ τῆς ἐπὶ τούτῳ εἰληχυίας ἀρχῆς, ἵνα ἐξιόντες καὶ τοῦτο προσφέροντες λαμβάνοιεν τὸν δικαστικὸν μισθόν.* Quae quidem cum noto Aristotelis loco: *ἐπειδὰν δὲ εἰσέλθῃ, παραλαμβάνει σύμβολον δημοσίᾳ παρὰ τοῦ εἰληχότος ταύτην τὴν ἀρχήν.* tantopere conveniunt, ut nequeam non suspicari, illud Scholiastae, quod modo attuli, potissimum ex Aristotele sumtum esse. Praeter Aristotelem etiam Demosthenes ejus mentionem fecit Pro Corona 210, 7., ubi eximie sic praecepit judicibus: *καὶ παραλαμβάνειν γε ἅμα τῇ βακτηρίᾳ καὶ τῷ συμβόλῳ τὸ φρόνημα τὸ τῆς πόλεως νομίζειν ἕκαστον ὑμῶν δεῖ, ὅταν τὰ δημόσια εἰσίητε κρινοῦντες, εἴπερ ἄξια ἐκείνων πράττειν οἴεσθε χρῆναι.* Ad quem locum qui teste Tayloro rem attigit Ulpianus, is mihi nunc praesto non est. Sed vide Photium 549, 5 *Σύμβολον: ὃ ἐλάμβανον οἱ δικασταὶ, εἰς τὸ δικαστήριον εἰσιόντες, εἶτα*

---

tum Jungermanni et Seberi, Parisinum Kusteri aliosque, in quibus excellit Vossianus. Interpolationes et audacissimas et ineptissimas vide III, 86., ubi praeclara addit ex Codice suo Falckenburgius, atque VII, 95., quibus exemplis nihil novi in toto Polluce luculentius. Falckenburgius autem plerumque tam constanter libri sui vestigia persequitur, ut ab iis latum unguem non discedat. Ceterum neque Falckenburgii Codicem satis plene cognitum habemus, neque ullum scio hujus quidem familiae alium: nam Salmanticensem, ab Schotto partim excussum, qui toties conspirat, unum eundemque cum Falckenburgiano fuisse probabiliter defendit Hemsterhusius ad X, 172. Veruntamen Sylburgius (ad Cementem Alexandrinum) olim Codice Pollucis usus est aut Falckenburgiano, aut alio quodam, sed longe simillimo. Ridicula est autem (ut hoc obiter addam) Reisigii opinio, Rankio et aliis fortasse probata, librum Pollucis decimum multo diligentius elaboratum esse, quam novem libros priores. Quod paullo l e v i u s dictum esse et parum considerate, lectorem non socordem mox res ipsa docebit: attamen illud mirari licet, in progressu ac propemodum fine operis tantopere auctam esse Pollucis industriam, quae tum quidem in aliis omnibus, etiam in Reisigio Rankioque vehementer imminui solet. Hinc illa similitudo ducta ab e x t r e m o a c t u, Cic. De Senectut, c. 2.

Digitized by Google

τοῦτο δόντες, τὸ δικαστικὸν ἐκομίζοντο. Eadem leguntur apud Etymologum 754, 26. et Suidam s. Σύμβολον, praeterquam quod hic adjecit: ἦσαν δὲ τὸν ἀριθμὸν ἀπὸ τοῦ α ἕως τοῦ κ τὸ σύμβολον λαβόντες, ἔπειτα πλησίοι καθεδούμενοι —. ζήτει ἐν τῷ Βακτηρία. Unde concludo, glossam ejusdem sub Βακτηρία mutilatam esse. Jam Λέξεις Ῥητορικαὶ Bekkeri p. 300, 33 Σύμβολα: — εἰδικῶς δὲ τὸ σύμβολον δηλοῖ γραμματεῖόν τι, ὃ ἐλάμβανε τῶν δικαστῶν ἕκαστος εἰσιὼν εἰς τὸ δικαστήριον, ὅ ἐστι πινάκιον. in ultimis verbis commiscere videri possunt σύμβολον et πινάκιον, sicuti Photius in loco supra commemorato πινάκιον: σύμβολον δικαστικὸν —. et vero etiam Hesychius, Πινάκιον: τὸ λεύκωμα. τινὲς δὲ, σύμβολον δικαστικόν., ubi τινὲς δὲ aut ita explicandum est, inventos esse multos, qui tabellam judicialem omnino nullam esse dicerent, aut, quod multo praestat, fuisse, qui tabellam a tessera haud discrepare traderent, aut denique, idque probo, nonnullos scriptores verbo πινάκιον uti in re forensi. Mercedem ternos obolos inde a Cleonis tempore, (ut constat vel ex Equitibus) a Colacretis[37]) inter judices divisam esse, norunt omnes, qui Aristophanem legerunt: is enim σὺ δὲ χασκάζεις τὸν κωλακρέτην, inquit, atque mox: πλὴν κωλακρέτου γάλα πίνειν. De Colacretis autem acutissime disputatum est a Boeckhio, Oecon. Athen. I, p. 186 sqq. Enimvero tesseram illam a quibusnam judici dari solitam putabimus? Schoemannum si audimus, distribuebantur aut a colacretis, aut, idque ei verisimilius videtur, ab aliis magistratibus, qui cuique judicio praeerant, hoc est ab archonte eponymo, rege, polemarcho, thesmothetis. Is mirum, ni arbitretur, Romae nul-

37) Vesp. 695. τὸν κωλαγρέτην Ravennas. v. 724 autem κωλακρέτου idem. At Avv. 1541 ad τὸν κωλακρέτην nihil varietatis subscripsit Bekkerus, etiam Codex Galeanus κωλαγρέται in Photio 196, 21 et Falckenburgianus Pollucis VIII. 97 κωλαγρέται, ubi alii etiam κωλακρέται. Mitto exempla formae κωλαγρέτης apud inferiores quosdam grammaticos. Ravennas et caeteri si minus veram, haud malam certe sententiam nobis conservarunt vetusti grammatici, qui verbi ex κῶλα et ἀγείρω compositi originem sequutus erat, κωλαγέρτης, κωλαγρέτης. Alios autem grammaticos κωλακρέτης scripsisse apparet, fortasse quod suavius ad aures accideret. Denique cum forma κωλαγρέτης comparentur notissimi illi Ἱππαγρέται Lacedaemoniorum.

Digitized by Google

los unquam fuisse *custodes vel divisores*, qui tabellas in Comitiis distribuerent, sed potius ad ponticulum stetisse *Consules atque Praetores* et hos civibus intro vocatis, dum ovile sive septa intrarent, tabellas praebuisse. Ex Aristotele et Scholiasta tertio certe tantum apparet, singulare fuisse Athenis munus eorum, qui tesseras judicibus traderent[38]). Sed veriora prodidit Suidas s. *Βακτηρία καὶ σύμβολον: οἱ λαχόντες δικάζειν ἐλάμβανον παρὰ τῶν δημοσίων ὑπηρετῶν σύμβολον καὶ βακτηρίαν, καὶ οὕτως ἐδίκαζον. τὴν χρόαν δὲ ὁμοίαν εἶχε τῇ βακτηρίᾳ τὸ δικαστήριον. τὸ μέντοι σύμβολον μετὰ τὴν κρίσιν ἀποδιδόντες ἐκομίζοντο τριώβολον· ὅπερ καὶ δικαστικὸν γέγονεν*: modo ne mentiretur de scipione. Quae haud absimilia sunt verbis Scholiastae II, *ὁ δὲ κήρυξ λοιπὸν ἐδίδου αὐτῷ τὸ πινάκιον αὐτοῦ καὶ τὴν ῥάβδον, εἶτα οὕτως ἐδίκαζεν*. ne tamen credas, tesseram pro tabella a Suida allatam esse, ultima ejus verba impediunt. Itaque praeco sive alii ministri publici, iique eodem fere loco dignitatis constituti, quo Romae custodes, divisores, diribitores, tesseras judiciales dividebant. Profuerit hoc ad explicandum versum Plut. 278.

ἐν τῇ σορῷ νυνὶ λαχὸν τὸ γράμμα σου δικάζειν,
σὺ δ' οὐ βαδίζεις, ὁ δὲ Χάρων τὸ ξύμβολον δίδωσι.

Interpretes, scholiastam III. Juntinumque sequuti, in verbis *ὁ δὲ Χάρων* anagramma sibi videntur investigasse, quippe quae simul etiam *ὁ δὲ Ἄρχων* significent. Hanc opinionem suscepit Schoemannus p. 17. At quum nullus archontum tesseras praeberet, sicuti vidimus, ne potest quidem Comicus hanc literarum similitudinem quaesisse. Imo *Χάρων* praeter notum illum portitorem apud Inferos etiam Athenis Nomen fuit Proprium, atque in hoc simul ludit Aristophanes. Sic *Χάρων* aliquis, frater Hyperboli, commemoratur in Schol. ad Pac. 664 (680). Ceterum e verbis Juntinae diversissima miscentis: *πάνυ δὲ ἀστείως καὶ τὸν κήρυκα Χάροντα ὠνόμασεν·*

38) Ne quis miretur, ab utroque officium illud *ἀρχὴν* appellari, inculco, verbum *ἀρχὴ* plerumque quidem de majoribus magistratibus dictum esse, sed nonnunquam etiam de minoribus, dicique illud posse de quovis munere, quamvis ignobili atque adeo vili, modo publico. Oppositus est enim *ἰδιώτης*, sicuti Romanorum magistratui homo privatus. Etiam latine magistratus interdum ponitur de munere minus splendido, veluti de quocunque pro magistratu.

Digitized by Google

ὁ γὰρ Χύρων κατὰ ἀναγραμματισμὸν Ἄρχων λέγεται, conjicias, exstitisse jam olim grammaticos, qui tesseras a praeconibus aliisve hominibus ordinis ejusdem distributas esse perspexissent. Quod praeterea confirmat Scholiasta III, decem thesmothetas tributim, et scribam loco undecimo quotidianae sortitioni praefuisse, id jam supra refutatum est. Praeerant sane Thesmothetae, sed soli, iique sex viri: at Scholiasta, ut jam SCHOEMANNUS animadvertit, ambigua Thesmothetarum nominis potestate deceptus non vidit, annuae tantummodo judicum sortitioni a toto Archontum collegio, Archontibus novem eorumque scriba operam datam esse. Illud contra praeclare Scholiasta, quod quotidie non singulos judices, sed judicia tota a thesmothetis sorti subjecta esse ait, ἐκλήρουν τὰ γράμματα μέχρι τοῦ κ'. Nec minus probo, quod addit, literas eorum tribunalium, in quibus illo die causae cognoscendae essent, a ministro in suo quamque foro expositas esse. Namque aut judicii cujusque litera erat exemtilis (τὸ γράμμα ἴσως ἦν περιαιρετόν), — quales oculi Lamiae secundum fabulas, et Lunae incolarum apud jocosum Lucianum — affixa palam cernebatur, dum judicia exercerentur, tum rursus auferri solebat, aut tabula, cui eadem litera inscripta esset, juxta judicii literam publice proponebatur: quorum utrumvis eo fiebat, ut causas mox intus agitatum iri, vel jamjam agitari pateret omnibus, significabatque τὸ δικαστήριον μέλλει δικάζειν, (Thesmophor. 78) vel etiam δικάζει. Nimirum hoc illud est, quod Pollux memoriae prodidit, VIII, 87 ἰδίᾳ δὲ, οἱ μὲν Θεσμοθέται προγράφουσι, πότε δεῖ δικάζειν τὰ δικαστήρια —. Quare in Scholio nostro potius scripserim ἔγραφον δὲ οὕτως· εἰ ἦν, quam ἐγράφοντο defendam, quoniam concinne admodum sic perrexit πέντε γράμματα, ἀπὸ τοῦ α ἕως τοῦ ε. εἶτα τὸ πρῶτον α ἐνεχθὲν ἐπὶ τοῦ α προετίθετο δικαστηρίου —. Male vero ita loquitur Scholiasta ἐκλήρουν τὰ γράμματα μέχρι τοῦ κ et εἰ ἦν πέντε δικαστήρια, ἐκληροῦντο πέντε γράμματα atque οἱ δικάζοντες ἐκληροῦντο, εἷς οἷον ἕκαστος λάχῃ δικάσαι., si modo hoc intelligi voluit, statis diebus omnia IX judicia sortes jecisse. Sed verissime dicit haec καὶ τὰ λαχόντα (γράμματα), ἴσα τὸν ἀριθμὸν τοῖς μέλλουσι κληροῦσθαι δικαστηρίοις, id est, tot literae judiciorum apud thesmothetas sortiendo extrahebantur, quot ul-

Digitized by Google

timae sortitionis participes futurae et ad certa judicia, non primum constituenda, sed tantummodo explenda accessurae essent.[39]) Quum enim singulis tribunalibus certae causae legibus decretae essent, quas in alio judicio dici ne liceret quidem, illorum quidem fororum judices legitimi, si quae causa ad se deferenda esset, non sortiebantur, sed hoc nuntio ad τοὐπὶ Λύκῳ accepto simpliciter in suum forum abibant. His tamen saepissime alii sortitione adlegebantur. Fac uno die causas quasdam in duo fora deductas esse, in heliaeam (ubi plurimae lites disceptabantur, adeo ut quivis judex futurus se heliastam maxime sorte fieri cuperet) alias, alias in Meticheum. Illo die judices et heliaeae et Metichei nulla facta sortitione ad suum tribunal recta pergebant. At tum forte in heliaea praeter justos heliastas alios judices mille et ducentos, sive duo judicia integra et magnam partem tertii, una sedere oportebat. Quum igitur caetera septem praeter heliaeam ac Meticheum judicia rite sortita essent, tria omnino ex illis judicia sortito eligebantur, quorum duo, nullo judice excepto, heliaeae adjicerentur, tertium ultimam sortitionem mox subiret. At vero in Meticheo tum legitimus judicum numerus sedebat: sic enim ponamus. Quapropter illo die quatuor judicia plena cum parte quinti sola causas cognoscebant, quatuor autem reliqua judicia cum parte quinti a re forensi tum quidem excludebantur. Scilicet simplex judicium constitit e quingenis, duplex e viris mille, triplex e mille et quingentis, et sic porro. Ut quum causa quaepiam mille judices postularet, ad legitimum numerum quingentorum, qui sententiam ferre legibus juberentur, quingenti alii ex alio judicio, facta sortitione, adsumebantur. Contra quum levior causa coram CCI judicibus agenda esset, ex universis D tot judices sorte omnium ultima capiebantur. Sequitur, ut sortitionem judicum quotidianam, cujus locum adhuc nemo indagavit, ad forum Atticum, quod τὸ ἐπὶ Λύκῳ dicebatur, factam esse demonstremus. Placet autem eam rem paullo altius repetendo hujus fori situm, naturam aliaque, quae proposito nostro conducere videantur, hoc statim loco breviter complecti. Igitur Pollux VIII, 121., ubi publica Atheniensium

39) Male explicat SCHOEMANNUS: e decem literis tot educebantur, quot eo die judicia futura erant.

Digitized by Google

judicia enumerat, tantum de eo prodidit: *Τὸ ἐπὶ Λύκῳ· ἀφ' οὗ καὶ ἡ Λύκου δεκάς· καὶ Ἥρως δὲ ἵδρυτο αὐτόθι ἔχων τοῦ θηρίου μορφήν· πάλαι δὲ καὶ ἀνῄεσαν* (ita recte codex A pro *συνῄεσαν*, quod temere natum e proximo *οἱ συνδ.*) *οἱ συνδεκάζοντες τὰ δικαστήρια.* Quod Lycus heros, ibi consecratus, lupi formam retulisse dicitur, *ἔχων τοῦ θηρίου μορφήν*, sive, ut Codex Falckenburgianus, *ἔχων λύκου μορφήν*, id non modo per se veri admodum simile est, sed etiam praeclare confirmatur ab Aristophane. Etenim in Vespis v. 819 judex desiderat *θἠρῶον — τοῦ Λύκου*, simul ad verbum *θηρίον* alludens propter lupi formam *τὴν τοῦ θηρίου μορφήν*, uti pulchre sensit Meursius in Areopago c. XI, frustra repugnante ad Pollucem Kuehnio. Addere Meursius debebat versum abhinc secundum, cujus eadem est ratio, *ὦ δέσποθ' ἥρως —*. Deinde Lyci judicium in alto quodam loco situm fuisse, unde longe lateque prospici posset, et ex illo Pollucis apparet, *πάλαι δὲ καὶ ἀνῄεσαν*, et colligo id etiam e Vesp. 1223 *ἆληθες; ὡς οὐδεὶς Διακρίων δέξεται.*, qui versus quam habeat sententiam, demonstrabo. Nam subito ad ingenium redit Philocleo, senex judiciorum amore perditus. Is quum ab Aristophane in tribunali *τῷ ἐπὶ Λύκῳ* judex sedisse fingatur, ut manifesto apparet e v. 389 sqq. (maxime huc pertinent verba *γείτων ἥρως* et *τὸν σαυτοῦ πλησιόχωρον· | κοὐ μή ποτέ σου παρὰ τὰς κάννας οὐρήσω μηδ' ἀποπύρδω.*) atque e v. 819, constantissime hic nomine *Διακρίων* semet ipse appellat. Verissimum est enim, quod confirmat Scholiastes *τὴν δὲ χώραν τὴν Διακρίαν Πανδίονά φασι τοῖς υἱοῖς διανείμαντα τὴν ἀρχὴν Λύκῳ δοῦναι.*, consentiente praesertim Scholio ad Lysistr. 58. Quapropter Lyci tribunal in edito loco constitutum esse pronius est ad fidem, quam ut in dubitationem vocari debeat. Ceterum ingenue fateor me olim haud satis recte idem conjecisse etiam e Vesp. 391

ᾤχησας γοῦν ἐπίτηδες ἰὼν ἐνταῦθ', ἵνα ταῦτ' ἀκροῷο,
κἀβουλήθης μόνος ἡρώων παρὰ τὸν κλάοντα καθῆσθαι.

Veruntamen hoc in oculos incurrit, de ipso judicio *τῷ ἐπὶ Λύκῳ* ibi loquutum esse Philocleonem. Posteriorem vero tetrametrum adjicere non sum gravatus, idcirco quod ex eo plane discimus, Athenis nullum alium heroëm, nisi Lycum,

Digitized by Google

judiciis patrocinatum esse. Sed minime praetermittendi sunt Scholiastae ad Vespas l. l., qui ita commentantur: Ὦ *Λύκε δέσποτα*] *παρὰ τοῖς δικαστηρίοις τὸ τοῦ Λύκου ἱερὸν ἦν καὶ ἡρῷον* [40]). *ὅθεν φασὶν εἰρῆσθαι, Λύκου δέκας.* Ἄλλως. *Λύκου ἡρῷον πρὸς τῷ δικαστηρίῳ ἦν· ᾧ ἐμέριζον, ὅτε δικαστήρια ἦν, τὸν παρὰ τοῖς λαχοῦσι τῶν Ἀθηναίων δικάζειν δικαστικὸν μισθὸν τριώβολον.* Horum ultima non carent vitio. Sed quum Venetus Codex, in quo paullo ante scriptum est *Λύκου δικάζεσθαι*, id est *Λύκου δεκάζεσθαι*, quod non modo non praestat vulgatae *Λύκου δεκάς*, sed ne intelligi quidem potest, quum igitur ille *ἦν, ὅσον παρὰ τ.* sufficiat, legendum est *ἦν ὅσονπερ τοῖς* —, Dativo ᾧ ad v. *Λύκου* relato. Ac lubenter credo affirmanti, colacretas etiam Lyco heroi, tanquam uni ex judicibus sive potius praesidi judicum omnium, ad tribunal *τὸ ἐπὶ Λύκῳ* ternos obolos solvisse (novi enim pietatem Atheniensium maximam [41]), idque eo magis quod Photii 236, 2., Suidae s. *Λύκου δεκάς* et Zenobii V, 2 auctoritas, uno teste illa quidem haud minor, accedat: *ἀφώριστο δὲ αὐτῷ* (sc. *Λύκῳ τῷ ἥρῳ*) *τριώβολον τῆς ἡμέρας.* Verum enim haec memoria longe majoris rei percipiendae facultatem nobis facit: si enim ternorum obolorum merces Lyco ad forum *τοὐπὶ Λύκῳ* constanter adnumerabatur, quis non ex eo consequi putet, ad hunc ipsum locum tribunal *τοὐπὶ Λύκῳ*, mercedem judicialem a colacretis olim divisam esse? Quae res tam arcte natura copulatae sunt, ut Meursius l. l., Kuehnius ad verba Pollucis, aliique id ipsum docere voluisse scholiastam Aristophanis existimarent: illud quidem falso. At multi haerebunt in duobus locis, *παρὰ τοῖς δικαστηρίοις τὸ τοῦ Λύκου ἱερὸν ἦν καὶ ἡρῷον* atque *Λύκου ἡρῷον πρὸς τῷ δικαστηρίῳ ἦν*, qui quum tantopere inter se pugnent, ut nullo modo conciliari posse videantur, tum numerus multitudinis apud tot alios grammaticos, quos deinceps afferam, invenitur, ut, quam-

40) Compara Schol. ad Vesp. 819 *Θηρῷον*] *τὸ ἱερὸν τοῦ ἥρωος Λύκου.*

41) Utrum haec pecunia in usum conversa atque ad reficiendum sacellum adhibita fuerit, ne id forte neglectum vetustate collaberetur, an tantummodo heroï donata sit, quo ditior in dies redderetur, nescio. Sed superstitionem prope geminam Lucianus exagitavit Philopseud. c. 20, idque in philosopho hominis statuam adorante.

Digitized by Google

vis justam admirationem habeat, tamen pro errore sive grammaticorum, sive scribarum haberi, nisi temere, nequeat. Jam nonnulli[42]), quo se verterent, incerti, denique eo descenderunt, ut ullum ἐπὶ Λύκῳ judicium Athenis unquam exstitisse negarent, errore paene incredibili. Non dico, extremae audaciae accusandum esse, quisquis tot auctoribus in tam obscura causa fidem abrogaverit; etiam illud omitto, quod a me demonstratum est, in eo loco, quem ne agnoscunt quidem, et thesmothetas judicia more solemni descripsisse, et colacretas per longum tempus mercedem judicialem divisisse, et judices ipsos in centurias distributos ac tum largitione corruptos esse: etiam situm ejus fori quadam ex parte definivimus, tum ternos obolos commemoravimus, quod donum quoties Lyco dabatur, toties in fanum ejus atque heroum referebatur, et vocem ἡ Λύκου δεκάς, quae in unum certumque locum tantummodo cadit, attulimus. Sed haec, ut dixi, omittam: illud quaeram, quid Vespis faciant Aristophanis, cui plane perspicueque loquenti hunc locum notissimum fuisse necesse est? Quid? ante fores omnium, aut certe plerorumque judiciorum Lyci tam monumentum quam sacellum statuisse Athenienses (ut fingere debebunt necessario), hoc eccuinam tandem probabunt? Etiamne igitur majores honores Lyco heroï solebant haberi, quam Minervae, quam Apollini, quam Jovi? Sed ego stultus, qui talia refutare curem. Neque tamen dissimulo, aliquid veri Numero Plurali, τοῖς δικαστηρίοις inesse posse. Sic enim existimo, Lycum Athenis heroum sacellumque omnino unum habuisse, ad illud scilicet dicasterium, statuas vero (statuas dico, non sacella) plures, ante trium quatuorve tribunalium januam singulas. Sed insignis est Harpocrationis locus, Δεκάζων: *Ἰσοκράτης —. ὅ τι ποτὲ τοῦτ' ἐστί, δῆλον ἅπασιν. Ἐρατοσθένης δὲ ἐν τοῖς περὶ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας, πόθεν τὸ πρᾶγμα εἴρηται, δηλοῖ οὕτω λέγων· „Λύκος ἐστὶν Ἥρως πρὸς τοῖς ἐν Ἀθήναις δικαστηρίοις, τοῦ θηρίου μορφὴν ἔχων, πρὸς ὃν οἱ δωροδοκοῦντες κατὰ δέκα γιγνόμενοι συνεστρέφοντο, ὅθεν εἴρηται Λύκου δεκάς.“ Ἀριστοτέλης δ' ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ Ἀνυτόν φησι κα-*

42) ut Hudtwalkerus de arbitris p. 12 et Bernhardy V. C. ad Eratosthenem p. 215, quorum hic, quid scriberet, vix satis videtur statuisse habuisse.

ταδεῖξαι τὸ δεκάζειν τὰ δικαστήρια[43]). Anytum hujus artificii inventorem dicunt etiam Plutarchus in Coriolano c. 13 et Diodorus XIII. p. 365, nec male nonnulli V. D. statuunt, Meletum pro Anyto a grammaticis falso substitutum esse. Hi igitur in Etymologo scribunt *Μέλητον* pro *Μέλητα*, et in grammatico Bekkeri *Μέλητος* pro *Μέλης*. Sed tamen quum Meles quoque nomen fuerit Atticum, quod v. c. ex *Ἀγρίοις* Pherecratis novimus, magis adducor, ut duplicem famam distinguendam esse credam, alteram locupletissimorum testium, qui id de Anyto acceperant, alteram paucorum quorundam, qui idem transferebant in Meletem. Accuratius vero Aristoteles, qui Anytum primum auctorem faciat judicia in decurias descripta corrumpendi, quam, qui omnino corrumpendi, Plutarchus (*Ἀθήνησι δὲ λέγεται πρῶτος ἀργύριον δοῦναι δικασταῖς Ἄνυτος ὁ Ἀνθεμίωνος* —): sine dubio enim multi jam ante Anytum repererant, quomodo Atticos judices, gentem levissimam, pecunia corrumperent, sed singulos etiamtum, aut partem eorum exiguam. Verum quam vim haberet *ἡ Λύκου δεκάς*, *δεκάζειν*, *συνδεκάζειν*, probe exploratum habebat Eratosthenes et grammatici plerique omnes (etsi rem significarunt magis, quam qualis fuerit, explanarunt): nec profecto erat, quod Viri Docti hoc in loco ad conjecturas easque vanissimas confugerent. Difficillimum erat Athenis propter ingentem eorum, qui in quoque judicio considerent, multitudinem, largitione tantum apud judices valere, ut malam causam obtineres. Haec ipsa ratio, ut judicia ne corrumperentur, profecto olim Clisthenem sive quem alium commoverat, ut tantam judicum turbam quovis anno constitui juberet, rem caeteroquin vel maxime miram ac talem, cujus causam probabilem, nisi hanc, invenies nullam. Ecce autem postea ostendit Anytus, ut opinor, quemadmodum quisque ipsius exemplo, claustris legum refractis, animos judicum constrictos sibique addictos haberet. Namque aut totum judicium, aut, ut multo potius credo, dimidium ejus, quo sibi devincto vicerat, tacite numerando in partes divisit decem, his porro decuriis singulis judices singulos prae-

43) Similia tradunt Hesychius s. *Δεκάζων* et s. *Λύκου δεκάς*. Zenobius V. 2, p. 113, Photius 235, 23 sqq. Suidas s. *Δεκάζεσθαι* bis, s. *Λύκου δέκας* et *Λύκος*, Etymol. M. 254, 29 sqq, *Λέξεις Ῥητορικαὶ* Bekk. p. 236, 3.

Digitized by Google

fecit eisque pecuniam dedit vel pollicitus est hac conditione, si suae quisque decuriae collegas omni ratione perpulisset, ut in iudicio secundum se sententiam ferrent. Quod iste quum impetrasset, et parem certe suffragiorum numerum nactus esset, judicum sententiis absolutus est. Hujus consilium, sollerter excogitatum, quoniam prosperum successum habuit, multi certatim imitati sunt. Ita factum est, ut quum antea judices, quamquam plurimi fidem venalem haberent, et nummarii judices, odio trioboli, fieri cuperent, singuli corrumpi facile potuissent, universi autem nullo modo, postea cuivis pecunia data sive dimidium sive totum judicium sibi conciliare nullo prope negotio liceret: neque enim universos judices circumeundo prensandoque tentabat pecunia, sed satis habebat illorum decem judicum animos pretio dato confirmasse, qui quidem gratia et auctoritate apud reliquos tantum valebant, ut malis artibus eorum res paene integra relinqui posset. Hos decemviros pecunia emtos ludibrium legum verius diceres quam firmamentum, sodales ac sycophantas multo rectius, quam judices. Nondum etiam declaravi, quid sit, cur ad tribunal τοὐπὶ *Λύκῳ* potissimum tantum non quotidie a thesmothetis judicia sorte distributa esse censeam. Primo animum advertebat, quod colacretas illic pecuniam numerasse sciebam, deinde magis illud me commovebat, quod eodem in loco judices deni pluresve vulgo corrupti esse dicerentur: neque enim, ut colacretae, sic largitores quoque vesperi, judicio jam finito, pretium dare poterant, sed mane sub tempus sortiendi spe integra debebant. Sed contigit mihi, ut ad conjecturam haud absurdam, conjecturam tamen, perboni etiam testis auctoritatem adjungere liceret, Photii 67, 14., qui ad forum Atticum, τὸ ἐπὶ *Λύκῳ* dictum, judicum sortitionem (et eam quidem sine dubio quotidianam) factam esse, dilucide declarat: *Ἡ Λύκου δεκάς*: [adde *παροιμία* e Suida] *Λύκος Ἀθήνησι πρὸς τῷ δικαστηρίῳ ἥρως· μορφὴν ἔχων θηρίου· δεκὰς δὲ τὸ δεκάζεσθαι· πρὸς ὃ ἡ παροιμία· καὶ οἱ πρῶτοι δικασταὶ πρὸς τῷ λυκοειδεῖ ἥρωϊ ἐκλήθησαν.* Optima sane glossa, modo ne vitio depravata esset, quam cum ipso vitio transscripsit Suidas in voce, ubi nihil extricat Kusterus. Nam ultimorum verborum ratio tum demum constabit, ubi reposueris *ἥρωϊ ἐκληρώθησαν*, certa emendatione, uam occupavit Dobraeus, Adversarr. p. 593. Saepe autem

Digitized by Google

librarii in medio verbo syllabam obliterarunt, scribendo, ut hoc utar, *κεκομμένα* pro *κεκολαμμένα*: de quodam Hesychii loco, ubi *προςεκλήθησαν* in *προςεκληρώθησαν* mutandum est, inferius dicetur. Ceterum quod ait Photius *οἱ πρῶτοι δικασταί*, videtur sortitio quotidiana sequiori tempore in alio quodam loco exercita esse. Quocum convenit illud Pollucis: *πάλαι δὲ καὶ ἀνῆεσαν οἱ συνδεκάζοντες τὰ δικαστήρια*: ita ut hoc quoque postea alibi factum esse satis certum videatur. Nunc demum confirmare ausim, ab initio scholii tertii verba *ἐπὶ Λύκῳ δικαστήριον* excidisse, errore sane facili, lacunamque in hunc modum explendam esse, *ἔρχεται ἕκαστος εἰς τὸ ἐπὶ Λύκῳ δικαστήριον, πινάκιον ἔχων κτέ.*, quandoquidem scholiastae nostri antiqua Atheniensium tempora unice spectarunt. Sed opportune venit mihi in mentem sententiae a Schoemanno p. 41 propositae, quam paucis, priusquam hunc locum concludam, examinabo. Is tametsi tribunal aliquod ad Lyci fanum fuisse defendit, addens non minus errare sibi videri, qui parum, quam qui nimium credant[44]): tamen pessime statuit, dicasterium *τοὐπὶ Λύκῳ* ipsumque Lyci fanum in vicinia Lycei, notissimi gymnasii, quod fuit in suburbio, quaerendum esse, deceptus et misera quadam Hesychii glossa in *Ἐπιλύκιον*, cui fidem habet, et fallaci nominis similitudine, inductus denique etiam eo, quod sciret, antiquitus in Lyceo jus dictum esse a Polemarcho. At quotusquisque ignorat, templum, cui Lyceum gymnasium adjacebat, fuisse Apollinis? neque ego ullus dubito, quin judicium Lyci sacello proximum in ipsa urbe situm fuerit. Illud mendosius, quod inconstanter concedit, tum hoc, ante pleraque aut praecipua saltem Athenarum dicasteria Lyci herois sacella (*ἡρῷα*) posita fuisse, tum etiam, ad plura tribunalia eos convenisse, qui judices decuriatos corrumperent. Nam haec quidem attulisse, est refutasse. Restat sortitio omnium ultima, de qua Scholiastes III, quum docuisset, thesmothethas tot literas sive judicia sortito adjungere consuevisse, quot ultimam sortitionem subitura essent, haec memoria prodidit: *εἶτα πάλιν ἀπεκληροῦντο*

44) Sapiens consilium, quis negat? Ego quoque etiam sic censeo, vehementerque suadeo omnibus, ut tantum, plane, inquam, tantum credere velint, quantum in quaque re veri fuerit, eo autem neque plus unquam, si me audiant, neque minus.

Digitized by Google

οἱ τὰ εἰληχότα γράμματα ἔχοντες, τίνες δικάσουσι, καὶ τίνες οὔ., idemque ad extremum monuit, ultimam sortitionem eo pertinuisse, ut ne quis judex forte, nullam sortem nactus, tamen in concilium judicum abiret, quod nonnullos facere non dubitasse. Sed rursus e verbis graecis, quae modo attuli, patet, thesmothetas non omnia IX judicia sortiri jussisse, sed ea tantummodo, quibus neque tum certa causa ad judicandum evenisset, et quorum pars ad explendum unum alterumve dicasterium adhibenda esset. Judices enim, qui eductis modo apud thesmothetas fororum sortibus, iterum et postremo quidem sortiti esse feruntur, minime animo informari debent judices universi, propterea quod neque fieri omnino potest, ut judices viritim sortes quotidie jecerint (quo nihil est ineptius), neque vero ita scholiasta videtur sensisse, quippe qui paullo ante dixerit ἐκλήρουν τὰ γράμματα, non ἐκλήρουν ἅπαντας τοὺς δικαστάς. Quamobrem rectissime tradit Scholiastes, apud thesmothetas non extractas esse nisi eorum judiciorum sortes, quorum partes continuo ultima sortitione ad justum judicium unum plurave cumuli loco accessurae essent. Quodsi quando plena tantum judicia requirerentur, tum sortitioni quotidianae priori et posteriori plane nullus locus relictus erat, verum thesmothetae alteros judices ad suum quemque tribunal abire jubebant, alteros infecta re domum reverti: quod tamen perraro usu venisse credibile est. Sin autem judicium aliquod in eo esset, ut leviorem causam cognosceret pars ipsius, non integrum, non frequens, non totum, tum ejus literae judices prioris sortitionis manebant expertes, atque statim, hoc nuntio a thesmothetis accepto, ante fores certi judicii et primum et ultimum sortiebantur, ut cognoscerent, quae pars sui judicatura esset, et quae non esset. Tum vero integrum judicium, ubi in alieno loco una cum legitimis judicibus consessurum esset, sed totum, nullo excepto, priore tantum sortiendi genere, non etiam posteriore, eligebatur. Denique si alieni judicii partem ad aliud totum adsciscere placuisset[45]), tum illud judicium cum reliquis, quae resedissent, et coram thesmothetis antequam assumeretur, sortiebatur et mox sine reliquis judiciis,

45) Hoc incidisse oportet in causa Socratis, si vere narrat MATTHIAE l. l. p. 252 infra, in Heliaea tum 556 judices sedisse.

Digitized by Google

praeterquam legitimo, ad forum se conferebat, ut solum rursus sortiretur. Quae quidem sortitio ultima brevissimo tempore sine ullo errore absolvi poterat. Quemadmodum enim dicasteria universa *κατὰ φυλὰς* descripta erant, ita ut singulis tribubus plerumque dicasteria singula conficerentur[46]): sic haud dubie unumquodque judicium, quod ex una tribu constare solebat, rursus *κατὰ δήμους* secundum populos divisum erat atque distinctum. Ergo si partes tantum unius judicii, solae sive etiam cum aliis judicaturae essent, tunc illius tribus seu judicii populares (*Δῆμοι*) sortiebantur: erat autem, ut supra ostendi, in tabella judicum cujusvis *δῆμος* (pagus, populus) accurate notatus. Quod quum ita sit, judices nunquam singuli sortiebantur, nisi semel quotannis in solemni sortitione. Novissimam vero sortitionem, quam disceptatio ipsa subsequebatur, ante fores tribunalis uniuscujusque, in quo judicaturi essent, transigi solitam, id vel per se tam certum puto, quam quod certissimum. Sed timido scrupulum dubitationis eximet Isocrates, cujus loco jam ante me Petitus alique complures usi sunt, Areopagit. 54, 5 B., ubi indignatur orator et prudentissimum quemque ait maxime ex animo doliturum esse, *ὅταν ἴδῃ πολλοὺς πολιτῶν αὐτοὺς μὲν περὶ τῶν ἀναγκαίων, εἶθ' ἕξουσιν, εἴτε μή, πρὸ τῶν δικαστηρίων κληρουμένους, τῶν δ' Ἑλλήνων, τοὺς ἐλαύνειν τὰς ναῦς βουλομένους τρέφειν ἀξιοῦντας* —. Venio nunc ad Aristotelis locum, brevissimum illum quidem, sed prorsus egregium, atque in hac omni quaestione perutilem, auctoritatis vero, noli quaerere, maximae. De quo Dobreus[47]): *Errat autem Hemsterhusius, — dum et χρῶμα in Aristotelis verbis, manifesto mutilis, sollicitat.* Frustra. Melius quidem Scholiasta Aristotelis verba, quae praecesserant, maximeque quae

46) Huic rei a multis proditae non repugnat Aristophanes Vesp. 233 *ὦ Σιρυμόδωρε Κονθυλεῦ, — Χάβης ὁ Φλυεύς*, quamvis Conthyle tribu Pandionide contineretur, Phlya autem Cecropide tribu: nam Philocleonem judicem collegae *diversorum* tribunalium, qui forte in vicinia habitabant, visum veniunt deductumque *εἰς τοὐπὶ Λύκῳ*.

47) Idem Dobreus Scholion tertium illustrat scilicet his verbis absurdis ac vere ridiculis: „*Hoc volunt; Conveniebant tribules, et in tot classes dividebantur, quot erant fora constituenda; deinde discedebant sortitum classes, apud suum quaeque forum.*“

Digitized by Google

sequebantur, addidisset: sed in eis, quae descripsit, plane nihil deest. HEMSTERHUSIUS, autem disputaverat in hunc modum: „χρῶμα] *Vel adjunctum verbum docuerit esse reponendum γράμμα· quis enim Graece sciens dicat ἐπιγράφειν χρῶμα; tum etiam quod statim subsequitur, ἔχων δὲ τὸ αὐτὸ γράμμα· quanquam illud ἔχον nihil habens, quo referri possit, praeter δικαστήριον, ilidem vitio vacare non videatur: nisi quaedam interciderint, litera mutanda est ἔχων, nimirum in ista δέλτῳ vel πιναχίῳ, cujus ad praecedentem versum scholiastes meminit. Βάλανον autem non aliam intelligo, quam τὸν σφηκίσκον τῆς εἰσόδου· dicemus ad v.* 301.[48]). Hic HEMSTERHUSIUS, quot verba posuit, tot propemodum commisit errores. Nempe etiam magni viri foede ruere possunt, si quando prius scribant, quam cogitaverint. Ac primum quidem conjectura γράμμα pro χρῶμα, claro plausu excepta a SCHOEMANNO, qui „*Rectissime*“ inquit, omnibus sibilis explodenda est. Nam quum graecum γράφω saepenumero sit *pingo*, quod exemplis declarare suppudet, verba χρῶμα ἐπιγέγραπται significant, *color aliquis suprapictus est*, eine Farbe ist oben aufgemahlt. Neque magis perspicuum est, cum eis verbis, quae modo attuli, cohaerere haec propiora τὸ ὁμόχρουν μὲν τῇ βακτηρίᾳ, minime remotiora ista, quae illuc per vim traxit HEMSTERHUSIUS, ἔχον δὲ τὸ αὐτὸ γράμμα. Potest autem χρῶμα tanto minus immutari, quod et verissimam notionem enuntiat (aliud enim fuisse χρῶμα, aliud γράμμα, haec docent Aristotelis, τὸ ὁμόχρουν μὲν — ἔχον δὲ τὸ αὐτὸ γράμμα) et verbum ipsum propria vi ac prorsus sua collocatum est. Etenim de eadem re tum Pausanias posuit *Βατραχιοῦν δὲ καὶ Φοινικιοῦν ἀπὸ χρωμάτων*, tum grammaticus aliquis ὁμόχρωμοι — οἱονδὴ χρώματος, alius ὁμόχροοι. Itaque Aristotelis locus fere sic latine reddendus est: „*Judiciis enim color superpictus est singulis in (fastigio*[49])*) introitus. Judex autem sumto bacillo in illud forum se confert, quod*

48) Non stetit promisso HEMSTERHUSIUS. Ceterum verbis ἐν τῇ βαλάνῳ etiam KUSTERUS frustra vexatus est.

49) Graece ἐπὶ τῷ σφηκίσκῳ. Hoc quid velit, fortasse infra videro; sin minus ego, at alii post me viderint; verum ego quoque mox videro, si tamen videro.

Digitized by Google

et colorem eundem habeat cum bacillo, et literam eandem cum glande bacilli. De caeteris supra monitum est. Nunc enim illum Pausaniae locum I, 28, 8 *τὸ μὲν οὖν καλούμενον Παράβυστον καὶ Τρίγωνον, τὸ μὲν ἐν ὑφανεῖ τῆς πόλεως ὂν καὶ ἐπ' ἐλαχίστοις συνιόντων ἐς αὐτὸ, τὸ δὲ ἀπὸ τοῦ σχήματος ἔχει τὰ ὀνόματα· Βατραχιοῦν δὲ καὶ Φοινικιοῦν ἀπὸ χρωμάτων καὶ ἐς τόδε διαμεμένηκε ἐνομάζεσθαι.*, excutiam. Novissimus editor enim: *Βατραχιοῦν·* inquit, Reinesius *in Observ. in Suidam p.* 50 *suspicatur, palum ante fores hujus tribunalis positum, vel januae obicem fuisse hoc colore* (*βατραχείῳ*) *tinctum.* At non modo palum finxit temere, verum etiam januae obicem male excogitavit, qui a natura *τῆς κιγκλίδος* magno opere abhorret; utrumque refellitur Aristotelis memoria. Quin potius quum Parabystum supra fores viridi colore (*χρώματι*) illitum esset, puniceo autem Trigonum infectum: facile fieri poterat, ut uterque judiciorum habendorum locus mox ex re et ex vero cognomen inveniret, ille *Βατραχιοῦν*, hic *Φοινικιοῦν*. Latent nos quidem hodie ceterorum judiciorum tam colores, quam nomina, si quae praeterea a coloribus ducta erant: veruntamen quum picti scipiones singuli singulorum fororum colorem referrent, apparet, in unoquoque judicio non minus certum quendam colorem, quam literam, conspectum esse. Plura verba scipio judicum Atticorum desiderat. Is usitato nomine proprioque dicebatur *βακτηρία*, quo usi sunt Aristoteles, Demosthenes De Coron 210, 7., Pollux VIII, 16., et grammatici tres quatuorve, nec debebat Scholiasta II vulgarius nomen *ῥάβδος* proprio substituere, quod glossema ad illam vocem explicandam adhiberi solebat, ut ab Hesychio, *Βακτηρία: ῥάβδος.*, et ab alio grammatico, *Βακτηρία καὶ σύμβολον: ῥάβδον κατεῖχον οἱ δικάζοντες* —. In hoc scipione et toto certi judicii colorem pictum, et literam certam in glande ejus inscriptam fuisse, ut vel e scipione agnosceres non modo judicem, verum etiam tribunal ejus, fidem facit Aristoteles. Et colorem quidem unius judicii in ejusmodi scipione repraesentatum esse, etiam grammatici nonnulli acceperant, ut scriptor Lex Rhetor. Bekkeri 220, 17 *Βακτηρία: ὁμόχρωμοι τοῖς δικαστηρίοις ἐδίδοντο βακτηρίαι, ἵνα ὁ λαβὼν οἱονδὴ χρώματος βακτηρίαν εἰς τὸ ὁμόχρωμον εἰσέλθῃ δικαστήριον, καὶ μὴ εἰς ἕτερον πλανᾶται διὰ τὸ πολλὰ εἶναι τὰ δικαστήρια.*

Digitized by Google

et Schol. ad Vesp. 1110, qui *παίοντες* pro *γεύοντες* legit, vel legere sibi visus est: *παίοντες δὲ μόλις τῇ βακτηρίᾳ, ὡς ὢν γέροντες. — ἐδίδοντο δὲ καὶ βακτηρίαι τοῖς δικασταῖς ὁμόχροοι τοῖς δικαστηρίοις, ὅπου ἑκάστους εἰσελθόντας δικάζειν ἔδει, ἵνα τὸν διαμαρτάνοντα ἀπελέγξῃ τὸ χρῶμα.* [50]) Quibus tamen haud sane concedo, hanc rem eo institutam esse, ne qui errore delusus, fallente oculos similitudine in alienum forum abiret: nam neque multa erant fora, et judices id, quod cujusque maxime esset suum, nullo labore inveniebant, non difficilius certe, quam pueri solent domum paternam. Fraudi potius cavebatur, quod judices haud raro, sortitione exclusi nihilo secius in curiam alienam lucri studio furtim irreperent, qui primum alia re nulla, nisi falso scipionis colore prodebantur. Literam judicii autem scipioni inscriptam esse, ne Scholiastam quidem II fugiebat, qui: *καὶ ἐν αὐτῇ δὲ τῇ ῥάβδῳ*, inquit, *ἦν τὸ ὄνομα*, (i. e. *τὸ γράμμα*) *τοῦ δικαστηρίου ἐγγεγραμμένον.* Sed in Aristotele ipso *ἐν τῇ βαλάνῳ* interpretandum esse de globulo sive glande, qua summus scipio ornamenti causa praefixus fuerit, huic porro scipionis glandi dicasterii literam inscribi solitam esse, optime monet SCHOEMANNUS [51]), apte comparans propter illud ornamenti genus Herodotum I, 195. Haec explicatio ex ipso Aristotele cogitur necessario: qui quoniam judicium cum scipione unice contendit, *βάλανος* pro parte aliqua scipionis profecto habendum est. Atque huic parti nulla alia de causa nomen datum est *τῇ βαλάνῳ*, nisi ob formae similitudinem. Quanquam vero verbum *βάλανος* de eadem re positum nusquam alibi legere memini (nec satis attendi fortasse): non dubito tamen, quin id verbum Athenis de hac ipsa re vulgo usitatum fuerit. Videmus enim Aristotelem in omni loco, ut eum decebat, verbis admodum lectis

---

50) Levidensis est glossa *Λικῶν Ὀνόμ.* Beckeri 185, 4 *Βακτηρία, καὶ σύμβολον· ῥάβδον κατεῖχον οἱ δικάζοντες, καὶ σύμβολον ἐλάμβανον ἀντιδιδόντες διὰ τὸ κομίσασθαι τὸ τριώβολον.*

51) Utinam vir egregius plura hujuscemodi invenisset: nunc in ista dissertatione praeter id unum plane nihil vidit, quod non modo praecipua laude, sed etiam brevi mentione perdignum videri posset. Attamen eum saepe laudavi.

Digitized by Google

utentem, cujusmodi sunt *χρῶμα*, *βακτηρία*, *βαδίζειν*, *γράμμα*, *σύμβολον*.

Jam vero incertum est, utrum *βακτηρία* una eademque judici cuique in totum annum, sui scilicet judicii tradita fuerit, an in quotidiana sortitione eidem modo haec, modo illa, prouti alicui judicio non suo, vel etiam suo, sorte adscriptus esset. Illud manifesto prodidit Scholiasta secundus, idque mihi quidem probabilius videtur, hoc placet SCHOEMANNO p. 13., et hoc commendare videri possunt, omitto Lex. Rhet. et Schol. Vesp., Aristoteles (*λαβὼν τὴν βακτηρίαν βαδίζει*) atque Demosthenes (*καὶ παραλαμβάνειν γε ἅμα τῇ βακτηρίᾳ καὶ τῷ συμβόλῳ* [52]): quos tamen quatuor locos rectius dixeris optionem facere eligendi, utrum velis. Ceterum haec opinio Suidae, ut videtur, probata s. *Βακτηρία καὶ σύμβολον*, videtur eis deberi, qui *βακτηρίαν* et *σύμβολον* confudissent, quemadmodum Scholiasta Juntinus: *ἐδίδου δὲ ὁ κήρυξ αὐτοῖς ῥάβδον, ἥτις ἦν σύμβολον τοῦ δικάζειν, ἵνα ἕκαστος καθ' ἑσπέραν ἀποδιδοὺς τῷ πρυτάνει τὴν ῥάβδον τριώβολον λαμβάνῃ μισθὸν τῆς δικάσεως*. Quum vero nonnunquam aliquot millia judicum in Heliaea suffragia tulerint, scipiones autem omnes (si posteriorem sententiam probes) ejus ipsius fori, in quod tum forte convenissent, et colore et litera inscribi debuerint, efficitur sic tanta scipionum multitudo, quae omnem fidem nimium excedat. Huc accedit, quod praecones vel alii ministri publici ita plurimum et laboris exhausissent quotidie, et temporis perdidissent in distribuendis tot scipionibus. Nec vero opus erat tanta rerum molitione. Imo duo exstabant insignia judicum, tabella et scipio, quae eis ambo in totum annum tradebantur, ut facile intelligeretur et judex, et judicium ejus. Quodsi

52) De Corona 210, 7 B. „Publicae causae, inquit orator, ad majorum nostrorum splendorem nominis, quasi ad normam quandam, exigendae sunt. Oportetque quemvis judicem ita sentire, se una cum scipione et tessera etiam gloriam rei publicae assumere, quandocunque publicae causae in foro tractandae sunt, siquidem digni majoribus, neque homines degeneres vultis videri.“ Non temere est, quod tabellam tacitam passus scipionem tantum tesseramque elegit, quae diserte nominaret: nam scipio insigne erat judici perhonorificum, *σύμβολον* lucrum ostendebat, ternos obolos. Non, inquit, honori vestro aut lucello inserviendum est vobis, sed bono publico et gloriae majorum.

Digitized by Google

judices in suo foro suffragia laturi essent, aut si integrum judicium foro traditum esset alieno, errori vel fraudi potius satis providebatur scipionis et colore et litera. Sin vero pars tantum judicii in foro vel suo vel alieno consessura esset, errorem demebat ac potius fraudem aperiebat non scipio, sed tabella, ut in qua cum judicio etiam populi nomen scriptum esset. Idem ille scipio videtur etiam proprium ac verum insigne fuisse judicum [53]): qui quum et ab omnibus cerni posset, (quod de tabella non item valet) et rectus esset, coloratus, literatus, ideoque a vulgari baculo plurimum differret: scipio iste prodebat ubique judicem. Judices enim per totum annum, quotiescunque in publicum procederent, scipionem suum afferebant, non solum ad sortiendum et judicandum. Rectissime igitur Scholiasta II conjunxit *τὸ πινάκιον* et *τὴν ῥάβδον*, quae duo cohaerent, non autem cohaerent *ῥάβδος* et *σύμβολον*. Neque illud omittam, tacere Scholiastam II de tessera, *τῷ συμβόλῳ*, ut quae ad annuam sortitionem nihil attineret, Scholiastam III vero tacere de *βακτηρίᾳ* sive ut prior vocat *ῥάβδῳ*, credo propterea, quod scipiones domo afferebantur, non quotidie dividebantur: hic enim de sortitione loquitur quotidiana. Quod autem supra dixi, bacillum judicialem rectum fuisse, non incurvum, id nititur Etymologi testimonio 185, 56. *Βακτηρία· ἣν ἐκάλουν ὀρθήν· ἐχρῶντο δὲ αὐτῇ οἱ ἐν περιουσίᾳ καὶ οἱ δικάζοντες· τῇ δὲ καμπύλῃ, οἱ ἄγροικοι.* Id primus attulit Casaubonus ad Theophrast Char. (p. 76 ed. Fischer.), deinde Jungermannus ad Pollucem VIII, 16., tum Schoemannus. Quodsi rectum scipionem divites et judices manu gestabant, incurvum autem rustici, tanto magis credas, judices illo fere semper usos esse, quippe quem merito in honore haberent. Sed adeamus Pollucem X, 173. *καὶ ὡς ἐν Γήρᾳ, Πτωχικοῦ βακτηρίου· καὶ βακτηρία δὲ, Πέρσις ἀντὶ καμπύλης, καὶ καλαμίνους αἰλοΐς.* Valde laborarunt V. D., Kuehnius, Jungermannus, Hemsterhusius in componendo Polluce cum hac Hesychii glossa: *Περσικά*: — *καὶ ὀρθαὶ βακτηρίαι.* — Ubi iterum laborat Albertius. Tum verba *πτωχικοῦ βακτηρίου* male ad Senectutem referri, quum ex Acharnensibus v. 423 depromta sint, animadverte-

53) Huic sententiae Demosthenis locus favet, quem modo attuli.

runt SEIDLERUS, SUEVERNIUS, DINDORFIUS, ultra autem progressi non sunt, quod miror in SEIDLERO. Mihi enim certissimum videtur, sive Pollucem, sive ejus librarios ita erasse, ut Acharnenses atque Senectam commiscerent. In *Γήρᾳ* dixerat poëta *Βακτηρία δὲ Περσὶς ἀντὶ καμπύλης*, quae verba optimum senarium efficiunt, „rectus scipio pro incurvo." Nam *Περσὶς* fuit *ὀρθὴ βακτηρία* secundum Hesychium. Fortasse scribendum est, *καὶ ὡς ἐν Ἀχαρνεῦσιν, πτωχικοῦ βακτηρίου καὶ ὡς ἐν Γήρᾳ· Βακτηρία δὲ Περσὶς ἀντὶ καμπύλης*. Videtur autem Comicus ibi loquutus esse de re forensi sive judiciali, et sententia haec potissimum fuisse: *judex pro rustico*. Sic in Senecta etiam *κληρωτήριον* et fortasse *ἀναμισθαρνεῖν* legebatur. Quanquam illa verba etiam sic convertere licet: *juvenis pro sene:* nam in Senecta senes repente juvenescebant. Forsitan Pollux etiam *καλαμίνους αὐλούς* e *Γήρᾳ* petiit (cf. eum X, 153 et IV, 67), etsi de hac re non disputo, petiit certe ex Aristophane. Denique in Vespis v. 505 mentio injicitur Philocleonis, judicis *τῶν ὀρθροφοιτοσύκοφαντοδικοταλαπώρων τρόπων*, ut vulgo scriptum est. At Codex Venetus initium vocis praelongae ac paene cubitalis facit tale *ὀρθος* —, Ravennas autem *ὀρθοφοιτος* —. Atque *ὀρθο* — videtur etiam Scholiasta reperisse, qui hoc vocabulum, absurde quidem, derivet *παρὰ τὸ ὀρθεύειν*. Postremo *ὀρθο* — Suidas quoque et aliquot edd. propagarunt. Non equidem *ὀρθὸς* et *ὄρθρος*, *ὄρθριος* et *ὀρθιος* facile et crebro a librariis commutata esse, sum nescius: (in ipsis Vespis 772 *κατ' ὄρθρον* omnino retinendum est, ubi *κατ' ὀρθον* Scholiasta) etiam illud concedo, *ὄρθρο* — bene in judicem convenire, qui primo mane ad sortiendum abeat. Veruntamen movet me non modo Codicum, in his Ravennatis, auctoritas, verum etiam ipsa hujus lectionis difficultas, ut *ὄρθρο* —, quod a correctore profectum puto, adsperner, *ὀρθοφοιτο* — autem lubenter amplectar. Existimo enim, alludi ad judicum *βακτηρίαν*, quam *ὀρθὴν* fuisse supra dictum est. Nimirum, qui recto bacillo innituntur, ii ipsi etiam recti solent incedere (*ὀρθοὶ φοιτῶσιν*), qui habitus atque incessus judici superbo apprime congruit. — Non diffiteor tamen, Photii glossam 347, 2. *Ὀρθριοφοίτης: ὁ παραγενόμενος ὄρθρου* vulgatae lectioni favere. Et sane librarii saepius *ὀρθρο* — in *ὀρθο* — depravarunt, scribentes *ὀρθογόη*, *ὀρθοβόας* al. V. HEMSTERHUSIUM

Digitized by Google

ad Schol. Hesiod. O. E. D. v. 566. Paene oblitus eram, Schoemanni, qui p. 15 Feithium (Antiqq. Homer.) sequutus conjicit, scipionem judicialem ex ultima antiquitate repetendum esse, quod judices jam apud Homerum *σκήπτροις* instructi sint. At primo nollem allatum hunc versum Iliad. XVIII, 505.

σκῆπτρα δὲ κηρύκων ἐν χέρσ' ἔχον ἠεροφώνων.

licebat enim aptiorem locum designare, idque ex ipsa Iliade. Quod autem sceptra gerunt judices isti, id haud scio, an ad regalem potestatem referri debeat. Antiquissimis enim temporibus reges (*σκηπτοῦχοι βασιλῆες*) iidem etiam jus dicebant. Verum scipio judicum Atticorum (*βακτηρία*) an cum sceptro regali ullo vinculo, quamvis laxo, copulatus fuerit, minime decernam: sed mihi uullo modo sic placet.

Obscurissima sunt illa verba Aristotelis *ἐπὶ τῷ σφηκίσκῳ τῆς εἰσόδου*: de quibus quoniam supra promisi me disputaturum, non deero lectori meo et potius ecquidnam effici possit, non experiar magis, quam palpabo. Grammatici quidem in vero inveniendo haud multum nos adjuvant. Nam Scholiasta ad Plutum v. 301. sic loquitur: *τὰ γὰρ μικρὰ τῶν ξύλων καὶ εἰς ὀξὺ συνηγμένα σφηκίσκους καλοῦσιν, ἐπεὶ καὶ οἱ σφῆκες τὴν κοιλίαν ἐπισυνεσταλμένην ἔχουσιν, ἰσχνοὶ ὄντες ὄπισθεν.* Similiter Suidas in *Σφηκώδεις*, Eustathius 897, 58 et Hesychius s. *Σφηκίσκος*. Longe melius tamen Hesychius *τὰ μακρὰ τῶν ξύλων* scripsit, etsi Codex Heinsii, Vossii, Albertii depravationem *μικρὰ* videri potest confirmare. Etenim istud *μικρὰ* e sola terminatione petiverunt grammatici, non cogitantes, *σφηκίσκος* formam habere minutam, vim tamen, ut alia multa, perdidisse. Quare et longissima tigna *σφηκίσκοι* appellantur, ut infra ostendam, et *μέγαν-σφηκίσκον* conjunxit Aristophanes', de palo loquens praeacuto, Plut. 301. Etiam Photius 560, 12. *Σφῆκες καὶ σφηκίαι: τὰ μικρὰ καὶ εἰς ὀξὺ συνηγμένα ξύλα. οὕτως Φερεκράτης.*, rectius haud dubie vocem *μικρὰ* aut delevisset, aut pro ea *μακρὰ* substituisset. Proprie igitur *σφηκίσκος* lignum est oblongum, quod desinit in acutum, nomine a vespis ducto, quae tum in medio corpore, tum maxime in extremo strigosae, exiles gracilesque sunt[54]). Sed

54) Macilenti homines *σφηκώδεις* nominantur in Pluto v. 561. eisque *γαστρώδεις* opponuntur. Versus hi sunt:

Digitized by Google

ab his illi *σφηκίσκοι*, qui in architectura usum habebant, discrepant plurimum. De iis nunc dicam. Polybius igitur V, 89., quum docuisset, Rhodios, quorum et Colossus et maxima pars murorum atque navalium (adjice, sodes, domos plurimas) terrae motu labefactata corruerat, ab aliis regibus alia dona accepisse, perrexit ita: *Παραπλησίως Ἀντίγονος, ξύλα ἀπὸ ἑκκαιδεκαπήχους ἕως ὀκταπήχους, εἰς σφηκίσκων λόγον, μύρια· στρωτῆρας ἑπταπήχεις πεντακισχιλίους* —. Ubi non habent, quo se vertant, interpretes, imprimis SCHWEIGHAEUSERUS: tanta est consilii inopia. Scite tamen miratur REISKIUS, quod Polybius a majore numero ad minorem descendat: sed descendere Polybium numeri ipsi declarant, tam apti illi, ut mutari non debeant. Verba autem *εἰς — λόγον* significant *pro ratione* ut Lucian. De Luctu c. 8. *κατὰ λόγον τῆς ἀδικίας*, Bis Accusat. c. 12. *κατὰ λόγον τοῦ ἐγκλήματος*. Scilicet graeci architecti tum *σφηκίσκοις*, tum *στρωτῆρσιν* utebantur in tectis conficiendis: illa tigna in longitudinem, haec in latitudinem poni solebant. Non est igitur mirandum, *σφηκίσκους* et prius commemorari: eis enim *στρωτῆρες* postea demum imponebantur: et plurium fuisse cubitorum, quam *στρωτῆρας*, et tectum altero tanto plus *σφηκίσκων* requisivisse, quam *στρωτήρων*: necesse est enim, non modo *σφηκίσκους* atque *στρωτῆρας* re cohaerere, ut verbis conjuncta sunt, verum etiam justam quandam rationem inter haec duo dona intercessisse. Bonum vero factum, quod grammatici potestatem verbi *στρωτῆρες* enucleate prodiderunt. Harpocratio, *Στρωτήρ, Λυκοῦργος* —. *τὰ μικρὰ δοκίδια τὰ ἐπάνω τῶν δουροδόκων τιθέμενα, στωτῆρας ἔλε-*

— *παρὰ τῷ μὲν γὰρ ποδαγρώντες*
καὶ γαστρώδεις καὶ παχύκνημοι | καὶ πλονὲς εἰσιν ἀσελγῶς,
παρ' ἐμοὶ δ' ἰσχνοὶ καὶ σφηκώδεις | καὶ τοῖς ἐχθροῖς ἀνιαροί.

Offensus sum hac collocatione verborum, ideo quod arctius cohaerent primum hae notiones *ποδαγρῶντες καὶ παχύκνημοι*, tum autem hae *γαστρώδεις καὶ πλονες ἀσελγῶς*. Atque ut hoc mittam, certe si mecum emendaveris

Καὶ παχύκνημοι καὶ γαστρώδεις,

concinnius sequetur versu proximo

παρ' ἐμοὶ δ' ἰσχνοὶ καὶ σφηκώδεις.

Ac mirer, ni ita scripserit poëta. Compara Nub. 316. 317

αἴπερ γνώμην καὶ διάλεξιν | καὶ νοῦν ἡμῖν παρέχουσιν,
καὶ τερατείαν καὶ περίλεξιν | καὶ κροῦσιν καὶ κατάληψιν.

Digitized by Google

γον, ὡς φησι Δίδυμος. ἔστι τοὔνομα καὶ ἐν Βαβυλωνίοις Ἀριστοφάνους. Compara Etymologum 731, 7. et Photium 544, 18 atque 545, 2., a quibus peropportune docemur, Didymi explicationem ad usum τῶν ῥητόρων referendam esse (οἱ δὲ ῥήτορες στρωτῆρας καλοῦσι τὰ μικρὰ δοκίδια, τὰ ἐπάνω τῶν δουροδόκων τιθέμενα, ἢ τὰ εἰς ὀροφὰς πεποιημένα): nihil enim ad nos, quid στρωτὴρ significarit ἐν τῇ συνηθείᾳ: tertia denique explicatio ἄλλοι δὲ πλέγμα λέγουσιν κτλ. eo penitus evertitur, quod tum minime intelligas, quid sibi voluerint σφηκίσκοι aut ad quam rem hi adhibiti fuerint, ne dicam, στρωτῆρας tum in tecto non sane numerari potuisse. Recte igitur statuit Didymus, ὁ χαλκέντερος. Minus distincte Λέξεις Ῥητορικαὶ Bekkeri 302. 5. Didymi explicationem attulit etiam Suidas s. Στρωτήρ ubi τῶν δοκῶν scriptum est. Sic Photius quoque, sed a m. sec.: *Porsonus* enim, δωροδόκων, inquit, in δῶρ ὄδοκῶν mut. Δωροδόκων est δουροδόκων; formae enim δοκὸς, δορόδοκος, δουρόδοκος specie tantum, non reapse differunt. Aristophanis locus a Polluce servatus est X, 173. ἀλλὰ μὴν τῷ στεγαστῆρι ὀρόφῳ προσήκοιεν ἂν καὶ οἱ στρωτῆρες καὶ τὰ καλυμμάτια· ἄμφω δὲ ἐν Ἀριστοφάνους Βαβυλωνίοις·

Πόσους ἔχει στρωτῆρας ἀνδρῶν οὗτοσί;
καὶ αὖ πάλιν·
Ὡς οὐ καλυμματίοις τὸν οἶκον ἤρεφε.

Idem X, 157 στρωτῆρες, καλυμμάτια. De hoc loco quae alibi a me dicta sunt, hic partim repetam. Attuli igitur Theophrasti locum p. 463 de homine ebrio: ὅταν μὴ δύνηταί τις τοὺς στρωτῆρας ἢ τὰς δοκοὺς ἀριθμεῖν. Hic vero δοκοί a σφηκίσκοις diversi non sunt, neque magis in locis grammaticorum, qui salva sententia scribere poterant στρωτῆρες οἱ ἐπάνω τῶν σφηκίσκων τιθέμενοι, pro τὰ μικρὰ δοκίδια et ἐπάνω τῶν δουροδόκων. Σφηκίσκοι recta tigna sunt, transversa στρωτῆρες; utraque cerni in tecto possunt atque numerari. Pessime vero Pollux, ut saepe, copulavit verba οἱ στρωτῆρες καὶ τὰ καλυμμάτια; quasi vero haec duo non longe inter se distarent. Photius 128, 15 Καλυμμάτια: ἃ τινες φατνώματα· οὕτως Ἀριστοφάνης. Itaque καλυμμάτια aut ornamenta lacunaris, sive tecti laqueati dicebantur, aut lacunar cameraque ipsa: contra στρωτῆρες, quos Comicus ab illis manifesto disjunxit, in tignario tecto ita eminebant, ut et oculis usurpari possent, et

Digitized by Google

facile numerari. Inprimis vero ad *καλυμμάτια* sive *φατνώματα* pertinuisse videtur Lesbium cymatium (quasi tu undam minutam dicas), cujus et projecturam (*ἐκφορὰν* sive *ὑπεροχὰς*) commemoravit Vitruvius III, 5, et ipsum illud IV, 6. Formam ejus perspicere licet ex Aeschyli versibus apud Pollucem VII, 122. *καὶ λέσβιον δὲ καὶ ἐκφατνώματα, καὶ κῦμα, μέρη ἔργων ἐν Αἰσχύλου Θαλαμοποιοῖς, Ἀλλ' ὁ μέν τις λέσβιον φάτνωμά τι* (*φατνώματί τι* MS. Jungerm.) *κῦμ' ἐν τριγώνοις ἐκπεραινέτω ῥυθμοῖς. τάχα δὲ καὶ οἱ Θαλαμοποιοὶ εἶδος τέχνης.* Longum est, virorum doctorum errores persequi, qui neque sententiam viderunt, neque metrum assequuti sunt. Illud constat, pessime huic loco consultum esse a KUEHNIO et ab DINDORFIO, qui senarios fabricati sunt, alter deleto verbo *Λέσβιον*, alter *φάτνωμά τι*: quorum neutrum deesse potest incolumi aut sententia, aut ipso Pollucis praecepto. Ocius restitue trochaeos tetrametros, hoc exemplo:

Ἀλλ' ὁ μὲν φατνώματι
Λέσβιον κῦμ' ἐν τριγώνοις ἐκπεραινέτω ῥυθμοῖς.

Sic autem interpretare: *Sed alius lacunari Lesbium cymatium perficiat figuris triangulorum.* Ceterum Pollux antiquum obtinet, qui et *ἐκφατνώματα* priore loco furtim sufficiat, et stultissime *Λέσβιον κῦμα*que pro duabus rebus habuerit. (Paullo imprudentius olim scripsi „*fabricati sunt.*“ Nam HERMANNUS, quum nuper coram essemus, mihi dixit, se quoque trimetros restituere, in hunc modum

Ἀλλ' οὖν ὁ μέν τις λέσβιον φατνώματι
Κῦμ' ἐν τριγώνοις ἐκπεραινέτω ῥυθμοῖς.

Idem Vir Summus probare videbatur, quam ipse certam puto, emendationem meam in Eumenidibus v. 258

ὁ δ' αὖτε γουναλκὰν ἔχων, περὶ βρέτει πλεχθεὶς θεᾶς ἀμι-
βρότου,
ὑπόδικος θέλει γενέσθαι χερῶν.)

Ad *σφηκίσκους* redeo. Hi quem usum praestiterint, propemodum intellexisse videor ex Inscriptione architectonica, loco jam olim a me allato, apud BOECKHIUM, vol. I. p. 281. Verba, quae huc pertineant, infra posui:

Ἐν τῇ προστάσει τῇ πρὸς
τοῦ θυρώματος
τὸμ βωμὸν τοῦ [θυ]ηχοῦ

Digitized by Google

ἄθετον.
τῆς ἐπωροφίας σφηκ[ίσ]κους
καὶ ἱμάντας ἀθέτους.

Multa ex his tam paucis verbis proficias. Nam quod in porticu *ad magnas fores* tecti recta tigna et tigilla transversaria nondum collocata esse dicuntur, eodem modo, janua cum *σφηκίσκοις* etiam ab Aristotele consociatur in illis ipsis verbis *ἐπὶ τῷ σφηκίσκῳ τῆς εἰσόδου*. similiterque verba *ὀροφαῖς καὶ θυρώμασι* etiam apud Thucydidem III, 68 componuntur. Ex quo certi homines divinabunt, Graecos in tectis struendis plerumque a supremo januae loco exorsos esse: quo tamen nihil incertius cogitari potest. Illa vero gravia et perspicua sunt, tum quod *σφηκίσκοι* et *ἱμάντες* in partibus tecti numerantur, tum quod discimus, tigilla, quae vulgo *στρωτῆρες* dici solerent, etiam *ἱμάντας* ab architectis appellata esse: siquidem in Inscriptione *σφηκίσκους καὶ ἱμάντας* plane eodem modo, ordine quin etiam eodem, copulantur atque a Polybio *σφηκίσκους* et *στρωτῆρας*. Et apte profecto hujusmodi tigilla transversa *ἱμάντες*, quasi lora, nominata sunt, ut quibus omne tectum tanquam vinciretur. Quodsi apud animum reputaveris, non solum *σφηκίσκους* constanter prius commemorari, quam *στρωτῆρας*, verum etiam Polybio auctore *σφηκίσκους* pro longis tignis, *στρωτῆρας* contra pro tigillis multo brevioribus habendos esse, denique si tu Didymi explicationem adjunxeris, qui *στρωτῆρας* fuisse ait *τὰ μικρὰ δοκίδια, τὰ ἐπάνω τῶν δουροδόκων τιθέμενα*: facere non poteris, quin ita censeas, *σφηκίσκους* illas ipsas trabes vel tigna denotasse, quibus *στρωτῆρες* deinceps transversi imponerentur. Videamus nunc, quid Boeckhio placeat. Is praefatus, necessario haec de porticus majoris tecto intelligenda esse, mox vanissimam opinionem proposuit, quam tamen Hirtio potissimum auctore, ipse abjecit: me quidem auctore sapientius eam reticuisset: ad extremum vero existimat, *δοκοὺς* proprie esse tigna tecti primaria; super illis quae tigilla ponantur, vulgo latiore vi dicta esse *στρωτῆρας*, ceterum utrosque, et *σφηκίσκους* et *στρωτῆρας* tigilla notare, tignis primariis imposita, *σφηκίσκους* longiora, quae *δοκοῖς* imponerentur, *ἱμάντας* breviora, quae imponerentur *σφηκίσκοις*, illos in longitudinem, hos in latitudinem tecti positos. In his paene nihil veri inest, nisi quod recte vidit, *ἱμάντας* haud

Digitized by Google

discrepare a *στρωτῆρσιν*. Primum enim falso dicit, verbum *στρωτῆρας* unquam tam late patuisse, ut eo continerentur, praeter *στρωτῆρας* sive *ἱμάντας* etiam *σφηκίσκοι*. Deinde non demonstravit, *δοκοὺς* proprie esse tigna tecti primaria, quae incumbant epistyliis. Id si forte sumsit idcirco, quod *δοκοὶ* secundum Theophrastum (*ὅταν μὴ δύνηταί τις τοὺς στρωτῆρας ἢ τὰς δοκοὺς ἀριθμεῖν*) in tecto eminebant nulloque negotio numerari poterant, haud perpendit, verbum *δοκός*, quod per se quodvis tignum (Balken) designat, optime dici potuisse de *σφηκίσκοις* longioribus, quandoquidem *στρωτῆρες* potius sunt *δοκίδια*, quam *δοκοί*. Tum Boeckhius tectum effecit duplex, ne triplex dicam, quum simplex esset tantummodo. Nam putat, tigna lacunaris primaria (*δοκοὺς*) primum poni, his deinceps imponi *σφηκίσκους*, longa tigna exiliora, quae ut contineantur, eis transversaria tigna alia (*στρωτῆρας*) imponi. Huc accedit, quod sic *στρωτῆρες* conspici plane non poterant (nisi quis forte ex tegulis despiceret), officientibus oculorum conspectui tignis primariis (*δοκοῖς*). Postremo obstat Boeckhio illud Didymi *τὰ μικρὰ δοκίδια τὰ ἐπάνω τῶν δουροδόκων τιθέμενα*, sive *στρωτῆρας* angustiore vi accipiat, sive ea, quam ipse putat, latiore. Nam si angustiore accipiet, ne imponi quidem arbitratur *στρωτῆρας δοκοῖς*, sed *σφηκίσκοις*, et hos demum *δοκοῖς*: sin autem latiore, primum *τὰ μικρὰ δοκίδια* in duas res (*στρωτῆρας* et *σφηκίσκους*) convertit, quae tria verba unam eandemque rem exprimere patet; tum vero ne sunt quidem *σφηκίσκοι*, ut tum simul appellantur, *μικρὰ δοκίδια*, quippe partim sedecim cubitos longi. Sed apparet manifesto, hoc dicere Didymum, *στρωτῆρας* imponi *σφηκίσκοις* (forsitan rectius dixisset, inseri lacunis eorum, quam supra imponi). Illos appellat *τὰ μικρὰ δοκίδια* grammaticus, quocum congruit Polybii *ἑπταπήχεις*, hos non minus recte dicit *δοκοὺς* sive *δουροδόκους*, quum eorum partim essent sedecim cubitorum. Quae quum ita sint, Aristoteles, qui tradat, in unoquoque judicio colorem supra pictum esse et quidem *ἐπὶ σφηκίσκῳ τῆς εἰσόδου*, certe verbo obscuriore designat tignum longum, super foribus judiciorum positum in longitudinem atque infixum: illud modo non decernam, utrum *σφηκίσκος* propriam vim retineat, quum omnia judicia, etiam Heliaea, in loco quidem introitus, super janua tenui quodam

Digitized by Google

tecto instructa fuerint, an dictum sit translate, ut judicia illic non habuerint, nisi simile quiddam tecti: illud tamen paullo probabilius. His ita disputatis non amplius morabor SCHOEMANNI conjecturam, quamvis palmarem, σφηνίσκῳ pro σφηκίσκῳ apud Aristotelem scribi jubentis. Atque ille tamen *cuneum* suum fortasse BENTLEJO acceptum refert, summo viro, qui conjecturam minime aptam σφηνίσκον pro σφηκίσκον in Plúto v. 301 aliis conjecturis eisque maxime aptis satis superque compensavit. Aliter visum librariis, qui σφηκίσκος, ἐσφηκωμένος similia in σφηνίσκος, ἐσφην. potius mutare solebant, quam contra. Nam ut omittam σφήνωμα pro σφήκωμα apud Sophoclem, in Luciano Asin. c. 53 κλίνη ἦν μεγάλη — χρυσῷ ἐσφηνωμένη, recte ἐσφηκωμένη SCHNEIDERUS in Lexico emendavit. Id haurire poterat ex fonte, Homero Il. ρ'. 52. πλοχμοί θ', οἱ χρυσῷ τε καὶ ἀργυρῷ ἐσφήκωντο. Hunc Homeri locum Lucianus spectavit etiam in Gallo c. 13. Denique si quis fuit aliquando, qui σφηκίσκος et σφηνίσκος apud Graecos usu et significatione in unum coaluisse videri diceret: istius opinionis tam perversae ullam nobis rationem habendam esse nego.

CAPUT II.

Explicantur nonnulli loci Aristophanis.

Nunquam de sortitione judicum Atticorum scripsissem, neque, hunc tam ingratum laborem sponte subiissem, sed tenuem laureolam eis reliquissem lubens, qui res nimirum tenent, verbis non torquentur, nisi viderem, complures versus Aristophanis, cui deesse nefas ducebam, nisi sortitione illa accurate definita, nullo modo intelligi posse. Sed nunc sortitione explicata, illi loci ad speciem perobscuri, re ipsa facillimi longam orationem non requirent: quanquam editores summam, qua plerumque uti solent, negligentiam hic quoque palam prae se ferunt. Nam Aristophanis quidem interpretes, quorum voluntatem collaudo, si provinciam suam male, imo pessime administrasse dixero, non erit mihi verendum, ne hoc idonei existimatores, quos jam solos appello, iniquius a me, quam verius judicatum esse querantur. Primum igitur in

Digitized by Google

Pluto v. 277 Cario servus Chorum senum rusticorum his verbis irridet:

Ἐν τῇ σορῷ νυνὶ λαχὸν τὸ γράμμα σου δικάζειν,
σὺ δ' οὐ βαδίζεις, ὁ δὲ Χάρων τὸ ξυμβόλον δίδωσι.

Hic locus plane nihil vitii contraxit. Ravennas quidem substituit *δικάδει*, hoc est *δικάζει*, ut Codex Mutinensis in *γρ.* sed cave Indicativum suscipias. Neque enim judices tum excitari poterant, ut in illud tribunal se conferrent: siquidem capto jam judicandi initio judices illi non intromitterentur, sed excluderentur sine controversia. Evolve Vesp. 775 atque 892. Vix tamen credo, *δικάζει* vitium esse fortuitum: scito enim, ne Ravennatem quidem a correctionibus metricis, grammaticis aliisque ubique liberum esse. Nam quum servus senes ut decrepitos et morti proximos exagitandos putaret, similitudinem lepidam duxit e re forensi, deliciis Atheniensium. Quare ut mortem senibus istis impendere declaráret, certo cuidam judicio loculum sive capulum substituit, *ἐν τῇ σορῷ*, alludens etiam ad *σωρός*, quod verbum bis praecesserat, ministro autem publico nomen dedit Charontis. Recte vero positum est *σὺ δέ*, referendum illud ad contrariam notionem, quae modo antegressa est: vide Quaest. Lucian. p. 46 sqq. Omnia ad morem judicialem diligenter composita videmus, nec quidquam legenti molestiam creabit, ubi verba *Λαχὸν τὸ γράμμα σου δικάζειν* recte exposita fuerint. Quo facto illud etiam patebit, lectionem *λαχὼν* in paucis Codicibus haud bonae notae repertam vulgatae *λαχὸν* a Dawesio, Bruncknio, Porsono immerito anteponi: etsi apparet, secundum hanc lectionem verba *τὸ γράμμα σου* adeo inutilia esse, ut nihil aliud, quam sensum turbent. Poterat igitur Aristophanes brevius scribere *λαχὼν δικάζειν*, sed circuitione quadam e judiciis sumta uti maluit. Elegit autem Nominativum Participii absolutum *λαχὸν*, (cujus rationes e vulgari quavis grammatica haurire licet) eique subjecti loco addidit *τὸ γράμμα σου*: aptissime: nam, quemadmodum supra vidimus, litera sive literae sors (*γράμμα*) ex urna extrahebatur, ut scirent, in quo quisque foro judicaret. At, dixerit quispiam, quorsum tandem adjecit *ἐν τῇ σορῷ — δικάζειν*: homo enim, non litera ejus judicabat. Respondere possim speciose, ad Infinitivum *δικάζειν* Subjectum *σὲ*, quod partim inest in illo *τὸ γράμμα σου*, tacite derivandum esse: sed verum

Digitized by Google

est et certe simplicius id, quod jam dicetur. Etenim uti τὸ γράμμα duplicem sensum habet et praeter literae sortem etiam certae literae judicium significat: ita etiam τὸ γράμμα σου ambigue dictum *judicium tuum, hoc est eius literae, quae tibi collegisque tuis una assignata est*, simul declarat. Haud parum igitur distant λαχὼν σὺ δικάζειν atque λαχὸν τὸ γράμμα σοῦ δικάζειν: illud ad unum te judicem pertinet, hoc et ad te et ad eos collegas, qui eodem in loco tecum judicandi causa consessuri sint. Quod autem τὸ γράμμα duas notiones complectitur, eo loci elegantiam etiam augeri puto: tantum abest, ut in hac re haerendum sit: unam enim literam judices, qui dicuntur, omnes educebant. Sin tibi forte secus videtur, missam fac sortem literae, quam hic non vehementer necessariam esse concedo, et altero tantum retento *judicium tuum integrum* interpretare. Quocirca haec in latinum sic convertamus: *Quum nunc ipsum judicio tuo in capulo judicandi sors evenerit, tu tamen non abis eo: Charon vero tesseram vobis tradit.* Ergo hunc locum Schoemannus maximo argumento esse censet, decem exstitisse judicum decurias, literarum notis ab A ad K distinctas: quod nisi ipsi credideris, Aristophanem commode explicari nullo modo posse. Sic autem interpretatur: *litera tua, i. e. nota eius decuriae, cui tu adscriptus es. Huic literae, h. e. huic decuriae sortito obvenit, ut judicaret* ἐν τῇ σορῷ. Sententiam per se ferri posse fateor: sed inauditae sunt decem istae judicum centuriae: eas Schoemannus procreavit solus, ego rursus aeterna morte mactandas esse censeo. Hic tamen invenit praeconem quum dissertationis, tum centuriarum, C. O. Muellerum in diariis Gottingensibus a. 1821 fol. 119. p. 1175. „Diese Vorstellung, inquit, *welche auch Ref. gefasst hatte* (?), wird zu einem hohen Grad von Wahrscheinlichkeit gebracht, und die Unrichtigkeiten und Verwirrungen der Scholiasten dadurch beseitigt.“ Ego vero magnopere miror, duo viros in tot tantosque errores, suo utrumque ingenio, unquam incidisse: sed fortassis quinque illa verba memoriae quodam errore scripsit Muellerus. Secundus locus legitur in eadem fabula v. 972., ubi Chremylus cum anu libidinosa colloquitur. Dixerat autem alius, sibi, ex quo Plutus deus visum recuperasset, vitam redditam esse non vitalem. Hic Chremylus:

Digitized by Google

τί δ' ἔστιν; ἦπου καὶ σὺ συκοφάντρια
ἐν ταῖς γυναιξὶν ἦσθα; ΓΡΑΥΣ. μὰ Δί' ἐγὼ μὲν οὔ.
ΧΡΕ. ἀλλ' οὐ λαχοῦσ' ἔπινες ἐν τῷ γράμματι;
ΓΡΑΥΣ. σκώπτεις. ἐγὼ δὲ κατακέκνισμαι δειλάκρα.

Vix credas, quantum interpretes in hoc versu tam facili laboraverint. Omnes autem falluntur. Namque ut omittam nugas Scholiastarum, Fischeri, Vossii aliorum, Hemsterhusius falso e Scholiasta eruit lectionem ἀλλ' οὖν λ., idque videtur probare. At tum sententia perit tota. Nec vero Schoemannus p. 28 infra haec verba recte interpretatus est. Primum enim pessime reddidit: *Num forte non sortita bibebas secundum sortis ordinem* (*ἐν τῷ γράμματι!!*), deinde verbis *οὐ λαχοῦσα* haud perceptis pravam oppositionem finxit hanc: *sed absque sorte bibebas, etiam quum non liceret?* denique affirmat, moris fuisse videri apud veteres, ut in conviviis de ordine bibendi sortirentur, afferens illud Ovidii:

Huic, si sorte bibes, sortem concede priorem.

At id quoque a nostro loco longissime abhorret, si modo ea unquam fuit Graecorum consuetudo: quod certe non probatur locis Lysistrat. 208 et Suidae in *πρὶν λαχεῖν*, quos non intellectos miror. Alio tempore, ut puto, demonstrabit Schoemannus, et plurimas Athenis fuisse sycophantrias, et mulieres in certo judicio (*ἐν τῷ γράμματι*) epulas celebrare consuevisse: etsi hic mos, me judice, tantum in Praxagorae re publica valuit. Ac tamen nihil illo versu simplicius fingi potest. Chremylus, qui putet, Plutum cernendi facultate instructum viris tantum nocere, iis maxime, qui publicum munus mala fide obierint, vehementissime admiratur, quid sit, quod anus nunc se indignis modis ad incitas redactam conquesta sit. Cujus rei tam novae quum ille probabilem causam inveniat nullam (nam amore percitam esse vetulam, ignorat), cogitur incredibilia quaedam comminisci, jocosa tamen: necesse est enim, ut Chremylus putat, publicam aliquam fraudem a muliere admissam esse. Quaerit igitur primum, an illa forte Pluto etiam tum caeco sycophantria quaedam inter mulieres fuerit: hoc eo dixit, quoniam modo viderat sycophantem, olim ditissimum, nunc pauperrimum, non quo ulla Athenis esset

Digitized by Google

sycophantria [55]). Negat anus. Tum Chremylus rem sibi cum multibiba atque merobiba esse existimat: a quo vitio quum publica fraus absit, quam ille tamen vere commissam putat, cum privata culpa causam publicam in unum confundit, anui bibaci tribuens dolum malum judicis. Convenit autem in vinolentam mulierem unum tantummodo verbum ἔπινες, pro quo si ἐδίκαζες posuisset Chremylus, de sola judicis perfidia loqui videretur. Boni judices est λαχόντα δικάζειν, mali μὴ λαχόντα δικάζειν, quorum alterum leges fieri jubent, alterum vetant. In eos autem judices, qui nullam sortem nacti tamen per fraudem in forum intrassent, severe animadversum esse, et per sese consentaneum est, et memoriae proditum a Scholiasta secundo, εἰ δέ τις δικαστὴς εἰσῄει μὴ κληρωθεὶς εἰς τὸ δικαστήριον, διαφόρως ἐζημιοῦτο [56]). ac tertio, τοῦτο δὲ ἐγένετο, ἵνα μὴ διαφθείρῃ τις τὸ δικαστήριον, ἀκρίτως ἐρχομένων τινῶν χωρὶς κλήρου εἰς τὸ δικαστήριον δικάσαι. Hoc igitur dicit Chremylus: *At nullam sortem nacta tamen in judicio* (judicabas, imo) *bibebas?* Cui anus: *tu quidem me ludos facis.* Tertius locus in eadem fabula exstat v. 1167. Ibi Mercurius, qui e coelo aufugerat, operam suam offert Carioni: vult esse Στροφαῖος, vult Ἐμπολαῖος, tum Δόλιος, postea Ἡγεμόνιος, quibus conditionibus repudiatis rogat et obsecrat servus servum, ut sibi τῷ Ἐναγωνίῳ in opulenta domo manere liceat. Tum Cario:

ὡς ἀγαθόν ἐστ' ἐπωνυμίας πολλὰς ἔχειν·
οὗτος γὰρ ἐξεύρηκεν αὐτῷ βιότιον.
οὐκ ἔτ' ἐς ἅπαντες οἱ δικάζοντες θαμὰ
σπεύδουσιν ἐν πολλοῖς γεγράφθαι γράμμασιν.

---

55) Multa hujuscemodi scriptores excogitarunt jocantes, et maxime Comici. Σοφίστριαν Platonis philosophi comparat Dobreus. Adde Aristoph. Ecclesiaz. 870. παρὰ τῇ στρατηγίδι, cll. Photio 541, 16 Στρατηγίς: ἡ γυνὴ οὕτως Φερεκράτης. Ecclesiaz. 713 κηρύκαιναν. Pherecrat. Γραυσίν, Ἀθηναίαις αὐταῖς τε καὶ ταῖς ξυμμάχοις, (ap. Runkel. p. 19): Pherecratis Ἀθηναίας ridicule vituperat Phrynichus ap. Steph. Byz. p. 28 C. Non debuit mirari: nam Pherecrates ludens imitatur formulam Ἀθηναίοις αὐτοῖς τε καὶ τοῖς ξυμμάχοις. Fortassis huc etiam pertinent Aristophanis ναύτραι ap. Pollucem VII, 139., etsi idem Pollux VII. 190: Θεόπομπος δὲ, γυναῖκας ναυτίδας.

56) Verba διαφόρως ἐζημιοῦτο dubitationem habent. Namque ego arbitror, quum noxa esset omnium una, poenam quoque omnes luisse eandem: nisi quis forte demonstrasset, se imprudentia lapsum esse; is vero, ut opinor, nullam poenam dabat.

Digitized by Google

Ne haec quidem recte explicata sunt. Nonnulli ut Scholiasta[57]), Vossiusque, inducti verbis ἐπωνυμίας πολλὰς statuerunt, judices sub pluribus nominibus latentes in plura judicia diversis sortibus pervenisse. Verum et Atheniensis unum omnino nomen habebat, non, ut Romanus, tria, et verba ἐπωνυμίας πολλὰς opposita sunt iis, quae sequuntur ἐν πολλοῖς γράμμασιν. Nam Cario hoc vult: *Quam juvat, multa habere cognomina: hic enim invenit ita paullum victus. Et miramur, judices ad unum omnes crebro operam dare, ut in multis judiciis inscribantur?* Haud dubie enim fori uniuscujusque judices in singula alba referebantur, addito ad nomen patre pagoque. Quodsi cujus nomen pluribus albis insertum esset, ille quovis fere judiciali die triobolum accipiebat, ceteris minus saepe mercedem ferentibus. Illud quoque apparet, non de fraude ulla loqui Aristophanem, sed de eo, quod per leges facere judici liceret. Primum enim quum ad se invicem referantur hae voces ἐπωνυμίας πολλὰς ἔχειν atque ἐν πολλοῖς γεγράφθαι γράμμασιν, quumque Mercurius multa illa cognomina sine dolo malo et optimo jure tulerit: inconstantiae est, alterum horum in bonam partem accipere, alterum trahere ad dedecus. Tum vero cuncti judices saepenumero id studuisse dicuntur, ut hujus voti compotes fierent: in quo ut rem ultra modum auctam esse fortassis largior (etsi non est, quod largiar, sed fortasse largior tamen): ita idem dico atque contendo, hic honestam rem, non turpem, pervulgatam, non obviam raro, in luce positam, non a clandestina fraude profectam demonstrari. Ita enim sentit Cario: cui multa cognomina indita sunt, is saltem unius ope vitam sustentabit, spernitur Mercurius Janitor, Mercator, Dolorum Artifex, Dux Viarum, at Praeses Ludorum placet: sic judices quoque multis inscripti judiciis certe in uno eorum semper sedebunt moxque triobolum ferent: quiescant sane caetera fora eorum, ut Meticheum, Trigonum, Parabystum, at in ultimo tamen, in Heliaea

57) Ὡς ἂν εἰ ἔλεγεν, inquit, οὐ ματαίως ἄρα σπεύδουσι πολλὰ ὀνόματα ἔχειν. In verbis quae subsequuntur τὸν πεσσὸν καὶ εἰς τόδε καὶ εἰς τόδε ἐμβάλλοντες τῶν δικαστηρίων., Hemsterhusius modo intelligit τὴν βαλάνον, vel τὴν δέλτον s. τὸ πινακίδιον, vel τὸ σύμβολον, modo vitium aliquod inveteratum hic occultari putat. At τὸν πεσσὸν dictum est pro τὸν κλῆρον, similitudine a lusu calculorum ducta, nec quidquam subest vitii.

Digitized by Google

erit, quod agant. Qua propter ex his Carionis verbis (neque enim Mercurii sunt, cui adsignantur in Ravennate) plane sequitur, judicem Atticum pluribus, imo multis literis sive judiciis lege ac sorte simul attribui potuisse. De qua re, haud levi profecto, plura scribere quamvis temerarium sit, (veterum enim testimonia hic nos deficiunt) non poenitet tamen, ad conjecturas descendere, quae certe id habebunt, ut, quomodo haec res comparata esse potuerit, cognoscas. Sex millia judicum aliquamdiu annua sortitione constituta esse nemo nescit. Jam fac aliquoties minorem civium numerum nomina edidisse sua: tum prorsus cogebantur, judices haud paucos in plura alba referre. Jam vero quum certa judicia certis diebus exercerentur, nihil obstabat, quin uni civi plura fora, quae quidem diversis diebus sua munia obirent, sorte conferrentur. Maxime autem putaverim, judicem eundem in civili foro et alio caedis simul sedere potuisse, ut in Meticheo et ad Delphinium: caedes enim rarius editur, civiles causae saepe agitantur. Denique quum in singulis foris quingeni judicare solerent, in novem illis praeter Areopagum judiciis non sex millia civium sedebant, sed tantummodo quatuor millia et quingenti. Quae cogitatio PETITUM ad monstruosam conjecturam in Vespis, qua ne id quidem, quod volebat, assequutus est, *πέντε χιλιάσιν* pro *ἓξ χιλιάσιν* adduxit. Contra MATTHIAE p. 253, a quo totus pendet SCHOEMANNUS, nisi quod centurias suas infarsit, probe perspexit, ad judicia quidem complenda quinquies mille judices suffecisse (dicere debebat quatuor millia et quingentos), sed majorem numerum eo captum esse, quod accidere posset, ut aut nonnulli legitimo numero adjicerentur, aut delecti judices haud pauci vel mortui essent, vel morbo impedirentur, vel reipublicae causa tantisper abessent, vel privata negotia, sed praesentissima officio praeverterent, vel propter segnitiam sero adessent. Itaque ex his sex millibus hominum quatuor millia et quingenti judicia explebant, mille et quingenti autem, quos aptissime dixeris judices suffectos, quoties usus erat, toties adsciscebantur. Forsitan igitur idem civis tum ordinarius judex constitui poterat, tum suffectus. Ita apparet, qui sexies mille judices et vulgo dicerentur, et in albis scripti esset, eos vero interdum vix quinquies mille judicum numero adaequasse. Utrum igitur, inquit, si quando

Digitized by Google

judiciis omnibus conflatis sex scilicet millia judicum considerent, utrum judex bis terve ordinarius, semel suffectus, tum triplex quadruplexve ferebat triobolum, an, ut caeteri, simplex? Mihi quidem videtur simplex fuisse: sed de hoc divinus aliquis rerum investigator viderit. SCHOEMANNUS nostrum locum ita convertit: Haud stulte ajunt judices, qui operam dare solent, ut non uni, sed pluribus decuriis adscribantur — quam fraudem haud raro factam esse — verissimillimum putat. Enimvero et decurias istas satis superque exagitavi, et fraudem SCHOEMANNO de manibus excussi. Sed hoc addam: non licebat judici duplicem petere mercedem, neque adeo plura judicia uno die obire. Demosth. in Timocrat. 123, 4. B. *ἐάν τις ἢ διχόθεν μισθοφορῇ ἢ.* —. Ubi Ulpianus: *ἐάν τις διχόθεν μισθοφορῇ) ἐκ δύο δικαστηρίων· συνέβαινε γὰρ δύο γίνεσθαι ἐν τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, ἵνα οἶν μὴ ἢ ὥσπερ ἐργασία, κωλύει τοῦτο.* Atqui haec fraus ne omnino quidem, aut si tamen unquam, sine dubio vix committi potuisset, si singuli judices uni tantum judicio adscripti fuissent: sensissent enim colacretae, judicem alienae literae venisse mercedem petitum. Sin autem judices saepe pluribus literis simul adscripti erant, in quarum pluribus uno eodemque die judicia haberentur, tum illi facile dolo malo agere poterant ac duplicem ferre mercedem nullo sentiente. Sed ad illam legem, secundum quam non licebat judici vel magistratui *διχόθεν μισθοφορεῖν*, allusit Comicus in Pace v. 469. Ceterum hic unicus est locus in toto Pluto, ubi ex parte sapiat FISCHERUS[58]). *Γράμματα* hic quoque *judicia* sunt, non *alba*: sed de albis istis sive indicibus recte existimat FISCHERUS. At paullo vehementius inflat SCHOEMANNUS, excitatus a FISCHERO. FISCHERUS enim arbitrabatur, suos cuique foro judices in totum annum traditos esse atque commissos, alios Meticheo, Parabysto alios et sic porro. „*Id quidem*, inquit SCHOEMANNUS, *manifesto falsum est, quum constet, quotidiana sortitione judices in dicasteria distributos esse, ut iidem modo in hoc*

58) Verba ejus apposui: „*γράμματα* accipienda videntur de *albis, indicibus, catalogis* judicum; nam quia Athenis erant multa judicia, erant etiam multa judicum alba. Qui igitur id agit, ut nomen suum referatur in multa judicum alba, is vult judex sedere in multis judiciis, ut victum eo certius inveniat."

Digitized by Google

modo in alio dicasterio sederent." Plane irascor SCHOEMANNO, qui talia effutiat: neque enim omnis error venia dignus est: hunc non modo non ignoscent, sed ne excusabunt quidem docti homines aut mediocriter prudentes. In certis judiciis certae causae tractabantur: unde reus in exceptione (*τῇ παραγραφῇ*) actori objicere poterat (Polluc. VIII, 57) *ἢ ὡς* [adde *μὴ*] *παρὰ τούτοις κρίνεσθαι δίον. οἷον οὐκ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ, ἀλλ' ἐπὶ Παλλαδίῳ*[59]). In Areopago cognoscebantur caedes voluntariae, in judicio *ἐπὶ Παλλαδίῳ* caedes per imprudentiam commissae, *ἐπὶ Δελφινίῳ* eae, quarum actor jure caesum hominem defendens exstaret, ut omnis de jure esset controversia, *ἐπὶ Πρυτανείῳ* res sensus expertes, quibus illapsis homo occisus esset, reae agebantur, *ἐν Φρεαττοῖ* causam dicebant ei, qui caede non voluntaria commissa intra annuum spatium novae caedis ejusque voluntariae accusati essent. Civiles causae maximae agitabantur in Heliaea, magnae in Meticheo, minorum certa pars in judicio ad Lycum, certa in Trigono, minimae denique causae in Parabysto, ut diserte tradidit Pausanias I, 28, 8. *τὸ μὲν (τὸ Παράβυστον) ἐν ἀφανεῖ τῆς πόλεως ὂν καὶ ἐπ' ἐλαχίστοις συνιόντων ἐς αὐτό.* Sed quid tandem est certum judicium, nisi certi judices et perpetui? Quod nisi singuli judices certis judiciis adscripti fuissent, non solum summa omnis rei forensis ac judiciariae perturbatio consequuta esset, sed etiam judices ad unum omnes, si minus sexies, at quinquies mille civium, annis singulis juris Attici, tam difficilis ad cognoscendum, tamque variis quasi nodis implicati, genera maxima, minima probe explorata habere debuissent. Quantum vero temporis tum sortitio quotidiana postulasset: nam centurias SCHOEMANNIANAS nondum invenerant Athenienses. Tabella vero judicialis et scipio (*πινάκιον* et *βακτηρία*), addita certi judicii litera, cuique in totum annum dabantur, non quotidie: itaque quisque judex in certo sedebat foro. Quinam autem fuerunt *ἡλιασταί*? Nonne ei, qui toto anno in Heliaea judicarent? Quanquam aliquoties *ἡλιαστὴς* est omnino judex, et *ἡλιάζειν* simpliciter judicare, nomine a potissimo judicio ad reliqua translato. Ceterum rem

59) Item hoc reum adjuvabat, si nulli essent, aut non justi *εἰσαγωγεῖς* illius causae V. MATTHIAE p. 269.

Digitized by Google

conficit vel sola locupletium testium auctoritates, contra quam ne niti quidem licet, tendere autem nefas est. Primum enim in Ecclesiazusis v. 684 sqq. *τοὺς ἐκ τοῦ βῆτ'* — *τὸ δὲ θῆτ'* — *τοὺς δ' ἐκ τοῦ κάππ'* — non eos menti informare judices possumus, qui forte fortuna semel in his foris sederint, sed necessario eos debemus, qui suo quisque foro adscripti per totum annum alius in Beta, alius in Theta, in Kappa alius judicarint. Idem probatur lege ap. Demosth. in Aristocr. 28, 9 B. *Τοὺς δ' ἀνδροφόνους ἐξεῖναι ἀποκτείνειν ἐν τῇ ἡμεδαπῇ καὶ ἀπάγειν, ὡς ἐν τῷ ὄξονι ἀγορεύει, λυμαίνεσθαι δὲ μή, μηδὲ ἀποινᾶν, ἢ διπλοῦν ὀφειλεῖν, ὅσον ἂν καταβλάψῃ, εἰσφέρειν δὲ τοὺς ἄρχοντας, ὧν ἕκαστοι δικασταί εἰσι, τῷ βουλομένῳ, τὴν δ' ἡλιαίαν διαγιγνώσκειν.* Hoc est, ut vernacule dicam, diejenigen Archonten, unter denen die betreffenden (jedesmaligen) Richter stehen. Recte Wolfius interpretatur *πρὸς τοὺς δικαστὰς ἑκάστων ἐγκλημάτων*, Reiskius male „ὧν, scilicet, *δικῶν φονικῶν*": imo *ἀρχόντων*. Caetera melius „prout causa quaeque [homicidii: hoc dele] ad hoc vel illud tribunal pertinebit." Denique id prorsus tradiderunt Scholiastae, et secundus (*ἕκαστος καθ' ἓν δικαστήριον* et quae sequuntur) et tertius (*καὶ γράμμα ἕν τι μέχρι τοῦ κ'*). Quamobrem ut novem archontes singuli singulis fere praeerant judiciis: sic judices quoque suum quisque obibat judicium: etsi poterat unus idemque pluribus dicasteriis adscriptus esse. Rem et certissimam et maxime perspicuam non intellexit Schoemannus: Petitus vero, quem toties risit, pulchre intellexerat, Legg. Att. p. 409. „Judices dabantur sortito a Magistratibus, quorum erat *εἰσάγειν τὰς δίκας*. Sortiebantur autem quisque judicum in illo foro, cui jam ante adsignatus erat sorte: nempe Heliastes in Heliaea; qui sedebant in Parabysto, in Parabysto; atque ita de ceteris, ut nempe judicia redderent in iis caussis, quae erant cognitionis illorum, sive Tribunalium, in quibus reddebant: —."

Notum est, judices pro tribuum ratione ita divisos esse, ut e singulis tribubus fora singula componerentur. Hoc et Scholiasta tertius nos docuit, et alii permulti, quorum partim supra attuli, partim deinceps nominabo. Veruntamen Schoemannus multa verba fecit, ut hoc quoque refutaret et Grammaticos in mendacio deprehensos convinceret. Id enim unum

Digitized by Google

egisse videtur, ut rem forensem Atheniensium, quae sapienter constituta est, nullo consilio, nulla mente, nulla ratione effectam ac propemodum sponte natam esse ostenderet: quasi non Dracon, Solon, Clisthenes leges dedissent, sed barbari nescio qui, non dedissent autem Atheniensibus, sed agrestibus quibusdam hominibus atque feris. Negat igitur, si judices κατὰ φυλὰς distributi essent, fieri unquam potuisse, ut ullus judex in plures tribus insinuando pluribus foris simul adsignaretur: tribules enim aut certe populares alienum hominem puncto temporis agnituros fuisse, denique hanc tantam fraudem, tantam audaciam statim et animadverti debuisse et vindicari. Hoc loco etiam disertus est (quod mihi difficile videtur in ejusmodi causa), ut demonstret, quonam modo Grammatici in hunc errorem (ut putat) inciderint. Verum quod dicit, nonnullis auctoribus duplex aut triplex judicium non e pluribus φυλαῖς, sed e pluribus δικαστηρίοις coaluisse: hoc argumentum quam vim habeat, non intelligo. Quum enim singula fora e singulis tribubus constarent, non minus recte δικαστήριον dictum est, quam φυλή. Ceterum omnis ista argumentatio, fundamento ejus subtracto, concidat necesse est. Vidimus enim, non dolo malo unum judicem in plura irrepsisse fora, sed per leges ei licuisse in plura judicia pervenire[60]). Integrum judicium quingenos viros complexum esse, recte demonstrant tum e Polluce VIII, 123 Ἡ Ἡλιαία πεντακοσίων· εἰ δὲ χιλίων δέοι δικαστῶν, συνίστατο δύο δικαστήρια· εἰ δὲ πεντακοσίων καὶ χιλίων, τρία. tum ex Harpocratione, quo postea utar, tum vero ex Demosthene in Timocratem 9, 4 — πρῶτον μὲν τῆς βουλῆς κατεγνωκυίας, εἶτα τοῦ δήμου μίαν ἡμέραν ὅλην ἐπὶ τούτοις αὐτοῖς ἀναλώσαντος, πρὸς δὲ τούτοις δικα-

60) Longe aliud est τὸ δυοῖν πινακίοιν τὸν ἕνα κληροῦσθαι, quod facere vetitum erat in creandis magistratibus et haud dubie etiam in annua sortitione judicum. Demosth. Πρὸς Βοιωτὸν περὶ τοῦ ὀνόμ. 12, 4 (998 R.) τί δὲ, ἂν ἄρα — ἕτερος ἡμῶν πείσας τὸν ἕτερον, ἐὰν λάχῃ, παραδοῦναι αὐτῷ τὴν ἀρχὴν, οὕτω κληρῶται; τὸ δυοῖν πινακίοιν τὸν ἕνα κληροῦσθαι τί ἄλλο ἐστιν; εἶτ' ἐφ' ᾧ θάνατον ζημίαν ὁ νόμος λέγει, τοῦθ' ἡμῖν ἀθεῶς ἐξέσται πράττειν; Falluntur Reiskius et Schaeferus, modo quidem diverso; sententia enim haec est: Quid si alter nostrum alteri persuaserit, ut si sorte creatus fuerit, ipsi munus relinquat? Quid aliud est, duabus tabellis unum sortiri? Ergo quod leges capite sanxerunt, id nobis impune licebit facere?

Digitized by Google

στηρίοιν δυοῖν εἰς ἕνα καὶ χιλίους ἐψηφισμένων —— ἄκυρα δὲ τὰ γνωσθέντα ὑπὸ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου καὶ τοῦ δικαστηρίου καθίστησιν. Jam REISKIUS monuit, recte de una eademque re et Dualem positum esse, et Singularem, propterea quod Heliaea e viris uno et mille coacta tum e duobus judiciis coaluerit, tum vel sic unum manserit judicium pro eoque habitum sit. Sed cum neutro horum locorum congruere videtur tertius in eadem oratione 196, 4 B (761) ἐν τρισὶν ἐξελεγχθέντας δικαστηρίοις. Verum hic Demosthenes Heliaeam pro duobus ponit judiciis, tertio autem loco illam numerat διαδικασίαν, de qua exposuerat 13, 9 (704 R.). Atque sic interpretatur DORREUS Adversar. p. 484. Nunc illa Pollucis verba Ἡ Ἡλιαία πεντακοσίων, sane multis probata [61]), refellere conabor. Solus enim ita censuit Pollux; longe aliter caeteri Grammatici, quorum sententia vel per se aliquanto verisimilior est. Harpocratio [62]), Ἡλιαία καὶ Ἡλίασις —— τὸ μέγιστον δικαστήριον τῶν ἐν Ἀθήνῃσιν, — χιλίων δικαστῶν, ἢ χιλίων καὶ πεντακοσίων συνιόντων. συνῆεσαν δὲ οἱ μὲν χίλιοι ἐκ δυοῖν δικαστηρίων, οἱ δὲ χίλιοι πεντακόσιοι ἐκ τριῶν. Eadem habet Photius 66, 10 (qui constanter ἡλιαῖα et paullo ante Ἡλιαῖα: τόπος Ἀθήνῃσιν, εἰς ὃν συνάγεται δύο δικαστήρια, ὅτ' ἂν χίλιοι δικάζωσιν —.) et Suidas modo dixerat Ἡλιαία καὶ Ἡλιάζεται. Βουλὴ συνεστῶσα ἐξ ἀνδρῶν χιλίων, consentiens cum Etymologo 427, 37. Ineptum βουλή, sed numerum vide. Δικῶν Ὀνόμ. Bekkeri 189, 20 Ἡλιαία καὶ Ἡλιάζεσθαι: δικαστήριον ἀνδρῶν χιλίων —. Λέξ. Ῥητορ. ib. 310, 29 Ἡλιαία. καλεῖται δὲ μέγα δικαστήριον καὶ οἱ χίλιοι δικασταί. Confer Pausaniam I, 28, 8 τὸ δὲ μέγιστον, καὶ ἐς ὃ πλεῖστοι συνίασιν, Ἡλιαίαν καλοῦσιν. Idem illud Lexicon Rhetoricum 262, 10 Ἡλιαία: μέγα δικαστήριον Ἀθήνῃσιν, ἐν ᾧ τὰ μέγιστα τῶν δημοσίων πραγμάτων ἐκρίνετο. ἦν δὲ χιλίων,

61) Etiam MEURSIO Areopag. c. XI. p. 2124, ubi totus se ad Pollucis auctoritatem contulit, Harpocrationem vero et Etymologum erroris insimulavit.

62) H. VALESIUS ibi apte comparat Maximum Tyr. serm. 39 — δικασταὶ χίλιοι —, et mox τοιαῦτα ἐν Ἡλιαίᾳ εὐθύνεται. Sed locus Stephani Byzantii Ἡλιαία — Ἔστι δὲ τὸ μέγα δικαστήριον τὸ ἐκ τῶν τεττάρων ἡλισμένον δικαστηρίων, ἐκ πεντακοσίων, καὶ πεντήκοντα, καὶ διακοσίων καὶ ἑκατόν. hic igitur locus vehementer absurdus est.

Digitized by Google

[adde ἢ χιλίων] πεντακοσίων καὶ ἑνός. συνήεσαν δὲ οἱ μὲν χίλιοι [adde ἐκ δυοῖν, οἱ δὲ χίλιοι] πεντακόσιοι ἐκ τριῶν φυλῶν. Hic scriptor conspirat cum Harpocratione et reliquis, sed tribus suo jure nec minus recte commemorat, quam illi dicasteria. Postremo apud Lucianum in Timone c. 51. ἐπὶ τούτοις ἅπασι δεδόχθαι τῇ Βουλῇ, καὶ τῷ δήμῳ, καὶ τῇ Ἡλιαίᾳ κατὰ φυλὰς, καὶ τοῖς δήμοις ἰδίᾳ καὶ κοινῇ πᾶσι —. voce τῇ Ἡλιαίᾳ universorum judicum collegium designatur, sed cave negligas gravissima verba κατὰ φυλάς. Tot igitur grammatici auctores sunt, Heliaeam vulgo mille judices habuisse, vulgo inquam, non semper: interdum enim et multo plures et pauciores judicabant. Diu multumque in eo haeseram, quid ultima tribu fieret, quum vidissem, judicia, quae tamen secundum tribus divisa erant, Areopago excepto novem tantum fuisse, tribus autem decem universas. Nunc posteaquam ostendi, Heliaea plerumque mille judices contineri, proxime a certo abest id quod supra conjeci, in Heliaeam duas tribus confluxisse videri. Quae conjectura etiam id habet commodi, quod immodicus iste numerus judicum suffectorum jam valde minuitur: qui quum antea fuerint mille et quingenti, mille tantummodo relinquuntur. Quodsi cui vel hic numerus justo major videbitur (et mihi profecto videtur), is ita existimet suadeo, dimidiam partem judicum suffectorum saepissime in Meticheo consedisse (nam, ut ait grammaticus, τῷ Μητιχείῳ προσεκληρώθησαν χίλιοι δικασταί): ita vero numerus judicum, quos verissime suffectos appellaveris, non mille efficitur, sed quingentorum. Itaque fortassis, ut brevi forma complectar, judices pro tribuum ratione dividebantur hoc fere modo:

6,000 omnino annua sorte capiebantur judices. Ex his sedebant

2,000 in quatuor judiciis de caede:	4 *tribus.*
1,000 in Heliaea	2 *tribus.*
1,000 in Meticheo	1 *tribus.* (500 quasi suffecti)
500 in foro ad Lycum	1 *tribus.*
500 in Trigono	1 *tribus.*
500 in Parabysto	1 *tribus*

500 plane suffecti: 1,000 suffecti ex omnibus tribubus promiscue sumebantur.

Existit numerus 6,000 judicum atque 10 tribuum.

Digitized by Google

Haec satis speciose afferri puto, plane vera ne mihi quidem videntur. Quamquam enim certum est, plerumque integrum judicium viros complexum esse minimum quingenos, tamen possit existere, qui id neget valuisse de Parabysto, in quo minutae causae tractari solebant, forsitan etiam de uno alterove judicio φονικῷ. Tum vero tota ista ratio vacillat et corruit. Non credo haec, sed omittere nolui. Ceterum Matthiae p. 252 non solum monuit, quingenos fere in singulis foris judicasse, verum etiam exempla subjecit judicum 500, 556, 1500, 2000, 6000, coram quibus certae causae disceptatae fuerint. Idem vero etiam pauciores quam quingentos aequo animo ferre debebat. De quo recte statuit Boeckhius Oeconom. Atheniens. I. p. 254, allato Polluce VIII, 48 εἰσήγετο δὲ τὰ μὲν ἐντὸς χιλίων, εἰς ἕνα καὶ διακοσίους· τὰ δὲ ὑπὲρ χιλίων, εἰς ἕνα καὶ τετρακοσίους. Non igitur apud Demosth. in Mid. 223, 4 ἄν τε διακοσίους ἄν τε χιλίους ἄν θ' ὁπόσους ἂν ἡ πόλις καθίσῃ —, διακοσίους suspectum videri debebat, quod male in πεντακοσίους mutavit cum Pettingalio Matthiae. Et substituit quidem Codex aliquis Parisiensis πεντασίους (sic), sed interpolatus est a manu recente: quam patet correctionem esse praeposteram. Memorabile est autem, quod a Polluce numerari videmus judices unum est ducentos, ac deinde unum et quadringentos, a Demosthene mille et unum, denique in Lexico Rhetorico mille quingentos et unum. Equidem assentior Schoemanno, ex ea re sequi, ut similiter etiam in ceteris omnibus causis numerus judicum impar evaserit, scriptores autem, quotiescunque parem numerum afferant, negligentius loquuti esse videantur. Viderat hoc iam Boeckhius l. l., quippe qui in minoribus judiciorum numeris reponeret 201, 401 et similes. Bene autem Ulpianus animadvertit ad locum Demosthenis, illum unum propterea adjectum esse, ne quando forte paria existerent judicum in utramque partem suffragia. Quum tamen fere semper ex tanta judicum multitudine unus et item alter officio suo, sane molesto, defuerit, non est, quod miremur, parium suffragiorum haud ita raro mentionem factam esse. Constat autem, reum absolutum esse, si parem calculorum numerum tulisset, sed continuo damnatum, si vel uno calculo minus habebat. Vide Berglerum et Spanhemium ad Ranas v. 697. Neque alia fuit Romanorum

Digitized by Google

consuetudo: Cic. Pro A. Cluentio c. 27 In consilium erant ituri judices XXXII: sententiis XVI absolutio confici poterat. Postremo quartus locus Aristophanis legitur in Ecclesiazusis v. 677 sqq.

ΠΡΑ. τὰ δικαστήρια καὶ τὰς στοιὰς [62b] *ἀνδρῶνας πάντα ποιήσω.*

Ac deinceps

ΒΛΕ. τὰ δὲ κληρωτήρια ποῖ τρέψεις; ΠΡΑ. εἰς τὴν ἀγορὰν καταθήσω,
κἄτα στήσασα παρ' Ἁρμοδίῳ κληρώσω πάντας, ἕως ἂν
εἰδὼς ὁ λαχὼν ἁπίῃ χαίρων ἐν ὁποίῳ γράμματι δειπνεῖ·
καὶ κηρύξει τοὺς ἐκ τοῦ βῆτ' ἐπὶ τὴν στοιὰν ἀκολουθεῖν
τὴν βασίλειον δειπνήσοντας, τὸ δὲ θῆτ' ἐς τὴν παρὰ ταύτην,
τοὺς δ' ἐκ τοῦ κάππ' ἐς τὴν στοιὰν χωρεῖν τὴν ἀλφιτόπωλιν.
ΒΛΕ. ἵνα κάπτωσιν; ΠΡΑ. μὰ Δί' ἀλλ' ἵν' ἐκεῖ δειπνῶσιν.
ΒΛΕ. ὅτῳ δὲ τὸ γράμμα
μὴ ξελχυσθῇ, καθ' ὃ δειπνήσει τούτους ἀπελᾶσιν ἅπαντες.

Praxagora, quae imperium Athenarum viris ereptum mulieribus in manus tradiderat, jam novas leges civibus suis imponendas marito suo enarrat. Decrevit autem femina jam Princeps Reipublicae constituendae, judicia omnino abolere, offensa haud dubie et judicum numero plane immodico, et mira, ob quam Athenienses male audiebant, judicandi libidine. Sed lepidam quandam sortitionem instituere vult, ut definiatur, in quanam porticu cives, olim judices coenaturi sint. Quaeres fortasse, cui bono aliquod sortiendi genus retinuerit: ut primum enim judicia omnia et porticus in coenationes mutata essent, judices si non universos, at permagnam eorum partem in suo quemque foro epulari potuisse, neque opus fuisse amplius ulla sortitione. At vero neque Principes omnia recte atque ordine faciebant, sed aliquid interdum pro arbitrio imperioque magis, quam ex vero aut bono publico, neque audebat Praxagora, quum Athenienses sortitione ex longo tempore adsueti essent, hunc morem plane abrogare; neque omnino is erat Aristophanes, qui occasionem ridiculum aliquod dictum de melioribus afferendi praetermitteret: cujusmodi locos non semper ad vivum resecare debemus. Ad singula accedo. Verba *τὰ δὲ κληρω-*

62b) Ravennas *στοιὰ* constanter, cui formae Photii glossa favet 539, 16 *Στοάν: καὶ σὺν τῷ ῖ στοιὰν ἑκατέρως λέγουσιν.*

Digitized by Google

τήρια ποῖ τρέψεις; sic intellige: Quid autem facies urnis, vasis instrumentisque sortiendi, aut, in quem usum ea convertes? Loquutio ποῖ τρέπω; redit in Nubibus v. 848 et Vespis v. 665. Sed κληρωτήρια pro urnis sortium recte accepit Berglerus, quae explicatio jam grammatico alicui placuerat. Nam etsi hodie in Scholiis tantum legitur κληρωτήρια) τὰς κληρωτικὰς ἀρχάς, perabsurde, tamen Suidas e plenioribus Scholiis hausit haec: κληρωτήρια: αἱ κληρωτικαὶ ἀρχαί. αἱ κληρωτίδες et mox post καταθήσω de suo adjecit κληρωτίδα. Jam Pollux X, 61 in loco περὶ δικαστικῶν σκευῶν etiam haec scripsit: καὶ κληρωτήριον· εἰ γὰρ καὶ ἐπὶ τοῦ τόπου ἔοικεν εἰρῆσθαι τοὔνομα ἐν τῷ Γήρᾳ Ἀριστοφάνους, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τοῦ ἀγγείου ἂν ἐναρμόσειεν. Non recte Schoemannus et Suevernius dubitare putarunt Pollucem, utrum κληρωτήριον in Senecta Sitellam declaraverit, an locum sortitionis. Imo Pollux arbitratur, hanc vocem in illa quidem fabula de loco dictam esse, sed eandem urnae quoque vim habere contendit. Idem Pollux[63]) quod ponit IX, 44 κληρωτήριον, ἵνα οἱ κληρωταὶ (scil. συνεκάθιζον), *locus, ubi sortitores* (qui fuerunt potissimum thesmothetae) *considebant*, amice conspirantem habet Phrynichum Bekkeri 47, 13 κληρωτήρια: ἔνθα κληροῦνται οἱ δικασταί. Nec dubitari potest, quin κληρωτήριον apud Graecos proprie locum designarit. Schoemanno quidem incertissimum videtur, an locus aliquis hoc nomine Athenis unquam fuerit: ego vero nihil certius puto, quam hoc, (ut mittam sortitiones magistratuum), ante januas singulorum fororum singula κληρωτήρια instituta fuisse: quod non modo ab Aristophane, Polluce, Phrynicho confirmatur, sed etiam ex eo satis apparet, quod judices quotidie πρὸ τῶν δικαστηρίων sortiebantur. Sed in verbis τὸ δὲ θῆτ' ἐς τὴν παρὰ ταύτην *Theta vero in porticum proximam* paullo diutius morabor. Nam posteriora verba quum Scholiastes admodum ridicule ad Theseum retulisset, J. Meursius De Ath. Att. I, 3 fin. accepit de porticu Thracum, Harpocrationem testatus p. 75 s. Ἑρμαῖ — ὅτι δὲ καὶ Θρακῶν στοά τις ἐλέγετο, δεδήλωκε καὶ Ἀντιφῶν ἐν τῷ πρὸς Νικοκλέα. Tum vero regiam

63) Hic Pollucis locus parum intellectus eo valuit, ut H. Stephanus, Schneiderus aliique Lexicographi κληρωτήριον etiam theatri locos in prima cavea significasse opinarentur.

Digitized by Google

et Thracum porticus vicinas fuisse apparet. Meursii sententia eo commendatur, quod ita judicium et porticus ab eadem litera incipiunt, Theta, sicuti modo ambo incipiebant a Beta. At, inquit, non conveniunt literae in ultimo judicio, kappa dicto. Vero: et poterat hoc sibi sumere poëta, idcirco quoniam judices non semper in legitimo foro ac suo suffragia ferebant, sed interdum traducebantur etiam in alienum. Quod quum tamen rarius usu veniret, maluisset comicus sine dubio etiam has duas literas exaequare, si aut ulla porticus Athenis cappa primam literam habuisset, aut cappa judicium salva sententia praeterire licuisset: numerat autem judicia a *Βῆτα* usque ad *Κάππα*, hoc est a primo usque ad extremum: voluisse quidem eum etiam duo cappa exaequare, inde perspicias, quod Blepyrum statim interrogare jussit, *ἵνα κάπτωσιν;* Profecto igitur porticus a Theta exordiens secundo loco quaerenda est: quam equidem praeter Thracum nullam inveni. [His jam scriptis errorem et meum et antea Meursii atque Schoemanni agnovi. Harpocration s. *Βασίλειος στοὰ — δύο εἰσὶ στοαὶ παρ' ἀλλήλας· ἥ τε τοῦ Ἐλευθερίου Διὸς καὶ ἡ βασίλειος. ἔστι δὲ καὶ τρίτη τις, ἡ πάλαι μὲν Ἀνάκτιος καλουμένη, Ποικίλη δὲ μετονομασθεῖσα* Quum igitur vicinae essent porticus Jovis Liberatoris ac regia, non potest Aristophanes non verbis *ἐς τὴν παρὰ ταύτην* adumbrasse porticum *τοῦ Ἐλευθερίου Διός*: ut jam literae in secundo exemplo non magis conveniant, quam in tertio. Menecles tamen an Callistratus ap. Harpocr. s. *Ἑρμαῖ* vicinas ponit regiam et Hermarum porticum (*Ἑρμῶν στοάν*): *Ἀπὸ γὰρ τῆς Ποικίλης καὶ τῆς τοῦ Βασιλέως στοᾶς εἰσὶν οἱ Ἑρμαῖ καλούμενοι.* Ac fieri potest, ut Hermarum porticus a Thracum non differat nisi nomine eademque porticus olim Thracum tantummodo postea ob multos Hermas etiam Hermarum appellata sit. Utut est, male Sluiterus Lectt. Andocid. p. 36. illud Harpocrationis *Θρακῶν στοὰ* in *Ἑρμῶν στοὰ* mutari vult.] Variari autem in his dicendi formis *τοὺς ἐκ τοῦ βῆτ' — τὸ δὲ ϑῆτ' — τοὺς δ' ἐκ τοῦ κάππ'*, non magis miror, quam *εἰς* bis positum, *ἐπὶ* semel tantummodo. Etenim ut verbis *τοὺς ἐκ τοῦ βῆτ'* et *τοὺς δ' ἐκ τοῦ κάππ'* [64]) judices omnes continentur, qui in alterutro

64) Nota Attractio pro *τοὺς ἐν τῷ Βῆτα, ἐκ τοῦ Βῆτ' ἐπὶ τὴν στοὰν ἀκολουθεῖν.*

Digitized by Google

horum fororum sedebant, ita etiam verbis τὸ δὲ θῆτ' in dispari forma notio plane eadem enuntiatur. Scilicet illud τὸ δὲ θῆτα, quo pro plenius dici item poterat τὸ δὲ θῆτα γράμμα, quemadmodum supra attuli τὸ γράμμα σου *judicium integrum, cui tu adscriptus es*, illud igitur nihil aliud significare potest, quam *judicium* Θῆτα *totum*, sive *omnes judices, qui huic judicio adscripti sunt*. Retinent autem vulgarem scripturam codices praeter unum omnes, etiam Ravennas: neque enim levis depravatio Laurentiani τὸν δὲ θητ' ἐστι παρ' αὐτὴν criticis proderit. Brunckius vero in Commentario lectionem libri Parisini, valde illius quidem interpolati, probat hanc τοὺς δ' ἐκ τοῦ θῆτα παρ' αὐτὴν, addens, post haec verba unum tetrametrum excidisse videri: idem ediderat ex sua ipsius conjectura τοὺς Θῆτ' ἐς τὴν παρὰ ταύτην, quam nobis iterum bis p. 28 et p. 44 propinavit Schoemannus. At ea est perversissima, quoniam τοὺς Θῆτα omnino nihil significat, neque Participium λαχόντας extrinsecus tacite adsumi ullo modo potest. Denique scriptura Codicis Parisini, quae in extremo versu absurda est, e librarii correctione fluxit, qui ad duorum locorum normam infeliciter tertium exegisset. Atque ut summam colligamus eorum, quae ex h. l. recte concludere liceat, discimus ex eo primum, certum forum unicuique judici quovis anno adsignatum esse (τοὺς ἐκ τοῦ βῆτ' — τὸ δὲ θῆτ' — τοὺς δ' ἐκ τοῦ κάππ') deinde novem Athenis fuisse praeter Areopagum judicia a Beta usque ad Cappa: Areopagus enim sive Alpha necessario omitti debebat, propterea quod tantummodo de judicibus loquitur heliasticis atque sortitis: tum alterum genus sortium literas fuisse novem a Beta usque ad Cappa, denique sortitione effecta praeconem publice edixisse, in quod forum singulis judicum agminibus abeundum esset (κηρύξει), fortasse etiam eundem primum agmen praecessisse (ἀκολουθεῖν et contra χωρεῖν).

Corollarii loco hoc addam. Effossae sunt ante complures annos in agro Attico tres laminae, quarum exemplum infra posui:

1.

Δ ΔΙΟΔΩΡΟΣ
ΦΡΕΑ[ΡΙΟΣ]

Digitized by Google

2.

B ΑΝΤΙΧΑΡΜΟΣ
ΛΑΜΠ[ΤΡΕΥΣ,
sive *τῶν ὑπένερθεν*, sive *τῶν καθύπερθεν*]

3.

E ΔΕΙΝΙΑΣ
ΑΛΑΙΕΥΣ

Hic vero satis mirari non queo O. Muelleri judicium, qui l. l. haec scripserit: in Gräbern beim Piräeus sind 2 bronzene Platten gefunden mit der Aufschrift *Δ. Διωδώρος Φρεα[ρριος] E. Δεινιας Αλαιευς*, beyde mit Eule und Gorgonenhaupt und einem andern dunkeln Zeichen als Stadtwappen (Dodwell Travels I. p. 433), *diefs sind ohne Zweifel die πινάκια zweier Richter, welche zugleich ihre Decuria bezeichnen, und ihnen mit ins Grab gegeben sind.* Non dicam patris nomen hic constanter deesse: alia enim et multo graviora quidem habeo, quae Muellero verissime objici possint. Nam quotusquisque credet, ullius civis Attici, qui judex fuisset, tabellam judicialem in sepulchro ipsius repositam esse, quam etiam mortuus sibi haberet et conderet sepulchro? Ne in magistratus quidem (*τὰς ἀρχὰς*) vulgo referebantur judices, sed munere fungebantur vili quodam ac pertenui: sive quod omnes cives, dum triginta annos nati essent, ad judicis personam adspirare poterant, sive quia haud multum mercedis ferebant, sive (id quod rem continet) quoniam immensa quotannis capiebatur judicum istorum multitudo. Fac tamen, tabellam sepulchro conditam esse: cujus potissimum judicii litera in hujusmodi tabella inscriberetur? Quem enim sors vicies, exempli causa, judicem constituisset, is quum viginti annos singulos scilicet, non continuos judex fuerat, tum etiam in judiciis pluribus sederat. Enimvero ultimi judicii litera in sepulchro reponebatur, inquiet Muellerus. Praeclare. Sed paullo rectius tamen post alios judicavit Dobreus ad Plut. 277 „tres laminae, judicum, *aut potius senatorum*, *γράμματα* exhibentes.“ In hac vero re nihil est, quod quisquam iure miretur: siquidem senatoris munus longe longeque honorificentius erat, quam judicis. Videlicet etiam, senatus certas quasdam literas habebat, quibus distingueretur et Ol. 92, 3 archonte Glaucippo primum secundum literam considebat.

Digitized by Google

CAPUT III.

De numero judiciorum Atticorum.

Etiamsi ab Aristophane in Ecclesiazusis nihil de hac re relatum esset, qui locus vel solus maximo argumento esse debebat, tamen decem Athenis fuisse judicia publica, pro certo haberemus. Primum enim hoc diserte traditum est ab scholiasta secundo et aliis quibusdam grammaticis. Deinde id cum X tribubus eximie conspirat, siquidem judices futuri *κατὰ φυλὰς* sortiebantur, ita ut totidem e singulis tribubus judices fierent. Praeterea enumerare licet decem Atheniensium tribunalia, neque ullo modo credibile est, vel unam curiam judicum Atticorum nos fugere, quoniam res Atticas uberrime ab antiquis scriptoribus, oratoribus maxime, descriptas copiosissimeque tractatas accurate novimus. Quodsi ubique operam dedi, ut antiquiora Atheniensium tempora et recentiora, si qua fieri posset, discernerem: hoc quidem in loco seriori aetati decem judicia pauci concedent, plura autem, sat scio, ne unus quidem. Tum vero cognitos habemus archontes, qui singulis judiciis praeessent, novem, sed rursum unum ex iis, regem, *τὸν βασιλέα* duobus praepositum fuisse scimus: ita igitur summa efficitur decem dicasteriorum[65]). Denique vide mihi egregium consen-

---

65) Praerat Areopago et foro *ἐπὶ Πρυτανείῳ*: quod miror latuisse MATTHIAEUM p. 155. Pollux VIII, 90 *Ὅσα ὁ Βασιλεὺς ποιεῖ — καὶ τὰς τοῦ φόνου δίκας εἰς Ἄρειον πάγον εἰσάγει, καὶ τὸν στέφανον ἀποθέμενος αὐτὸς αὐτοῖς δικάζει. — δικάζει δὲ καὶ τὰς τῶν ἀψύχων δίκας.* Cum h. l. vehementer pugnat alius ejusdem Pollucis VIII, 120. *προεστήκεσαν δὲ τούτων τοῦ δικαστηρίου φυλοβασιλεῖς, οὓς ἔδει τὸ ἐμπεσὸν ἄψυχον ὑπερορίσαι.* Verum hoc dissidium componitur tertio loco, VIII, 111. *Οἱ φυλοβασιλεῖς, ἐξ Εὐπατριδῶν δὲ ὄντες, μάλιστα τῶν ἱερῶν ἐπεμελοῦντο, συνεδρεύοντες ἐν τῷ βασιλείῳ τῷ παρὰ τὸ βουκόλιον.* Itaque tribuum regg. non erant, nisi assessores (*σύνεδροι*), rex ipse jurisdictionem habebat. Falso autem KUEHNIUS *τῷ βασιλείῳ* interpretatur *porticu regia*, haud dubie eo commotus, quod rex in ea porticu jus dicebat secundum Pausaniam I, 3, 1. At tum dicendum erat *ἐν τῇ βασιλείῳ τῇ* —. Quin imo *τὸ βασίλειον* est ipsum illud forum *ἐπὶ Πρυτανείῳ*, nomine a rege ducto, qui huic judicio praefectus erat. Id necessario efficitur ex verbis, quae adjecta sunt *τῷ παρὰ τὸ βουκόλιον*: nam Bucolium et judicium *ἐπὶ Πρυτανείῳ* in propinquo sita fuisse e Suida patet s. *Ἄρχων* (sive Bekk. Anecd. 449, 20.) — *ἀλλ' ὁ μὲν Βασιλεὺς καθῆστο παρὰ τῷ καλουμένῳ Βουκολίῳ· τὸ δὲ ἦν πλησίον τοῦ Πρυτανείου.* Idem

Digitized by Google

sum aptissimamque concinnitatem, quam Athenienses in judiciis constituendis sequuti sunt. Quinque enim exstare voluerunt caedis judicia I Areopagum II ad Palladium III ad Delphinium IV in Prytaneo et V Phreatticum, quinque itidem judicia civilia I Heliaeam II Meticheum III ad Lycum IV Trigonum et V Parabystum. At, dixerit quispiam, miror hoc ipsum, quod defendis, non plura Athenis judicia exstitisse civilia, quam caedis: caedes enim raro patratur, civiles vero causae multae saepe incidunt. Verum enim vero etiam atque etiam considerandum est, majores tantum causas, atque adeo nonnunquam maximas a judicibus nostris dijudicatas esse civiles, minores autem atque privatas tum Archontibus, qui saepe juris dicundi causa in suis locis sedebant, tum Arbitris (*τοῖς διαιτηταῖς*), tum Triginta, sive postea Quadraginta viris (Pollux VIII, 100. IX, 101.) tum aliis, ut *τοῖς Ναυτοδίκαις* (v. ad Daetalens. p. 113 sq. et adde nunc Lucian. D. Meretr. II, 2. Polluc. VIII, 88 et verba Matthiae De Judiciis p. 247 not. „nempe quando in emporio Atheniensium aliquis versabatur, civium jura usurpans.“ Quocum consentio.) Agoranomis, curatoribus emporii, plane relictas esse. Judicia militaria, si cujus nomen delatum esset *δειλίας*, *λειποταξίου*, *ἀστρατείας*, habebantur ab imperatoribus, ut praesidibus et a militibus, qui judicabant (de quo disputavit post Meierum Schoemannus p.

---

forum etiam *Ἐπάλξεις* nominatum esse e *Λέξ. Ῥητορ.* Bekk. 243, 16 intelligas. Habemus igitur tria nomina judicii ejusdem, *τοὐπὶ Πρυτανείῳ*, *τὸ Βασίλειον*, *Ἐπάλξεις*. His fortasse quartum nomen adjungendum est *τὸ πρὸς τοῖς Τειχίοις* ex Ar. Vesp. 1109, quo nomine appellari potuisse judicium *τὸ ἐπὶ Πρυτανείῳ* fidem facit appellatio *Ἐπάλξεις*. Nisi forte poëta dixit judicium *τὸ ἐν Φρεαττοῖ* (Pausan. I, 28 *ἐστὶ δὲ τοῦ Πειραιῶς πρὸς θαλάττῃ Φρεαττώς*). Archontem autem certo judicio praefuisse ex eodem sequitur Aristophanis loco: *οἱ μὲν ἡμῶν, οὗπερ ἄρχων —*. Tum Heliaeae principem thesmothetarum praesedisse, ex eo conjicias, quod hoc judicium etiam *τὸ τῶν Θεσμοθετῶν δικαστήριον* dicebatur: neque enim fieri poterat, ut sex thesmothetae Heliaeae omnes praecessent. Sed Polemarchum judicium *ἐπὶ Λύκῳ* exercuisse minime colligitur ex Hesychio *Ἐπιλύκιον*: *ἀρχεῖον τοῦ πολεμάρχου Ἀθήνησιν*. Videlicet in Lyceo gymnasio jus dicebat Polemarchus. Accipiebant quidem interdum alii quoque, qui muneri publico fungerentur, *ἡγεμονίαν δικαστηρίου*, sed vulgo tamen et fere semper unusquisque de novem archontibus uni judicio praesidebat, rex autem duobus. De *ἡγεμονία δικαστηρίου* breviter tantum scripsit nec satis dilucide Matthiae l. l. p. 242.

Digitized by Google

29 sqq.), causae, quae ad Eleusinia mysteria pertinerent, a judicibus cognoscebantur initiatis (cf. eundem p. 32 et qui meliora dederant, KUEHNIUM, JUNGERMANNUM atque HEMSTERHUSIUM ad Polluc. VIII, 123, 124), aliquoties etiam populus ipse judicabat, veluti in isto infami judicio de X praetoribus, atque in testularum suffragio, sive ostracismo, si quem civem patria carere vellent: tum quidem rei plerumque exilio decem annorum multabantur propter X tribus, requirebantur autem suffragia civium minimum 6000, qui numerus fuit judicum maximus. Huc accedit, quod caedes, quo committitur rarius, eo diligentius investigatur, intentius exploratur, acrius denique vindicatur, apud Athenienses praesertim, quorum animos superstitione praeoccupatos nimium saepe religio incessit. Quae res tantam vim habet tantamque notionem, ut mihi illud vere dicere posse videar, unam caedem saepe longius tempus majoremque curam requisivisse, quam civiles causas permultas. Alia argumenta, quae mihi plura in promtu sunt, afferre nolo, ne ipse certissimae rei fidem multa disputando elevare magis videar, quam corroborare. Sed intelligendum est, plures jam viros doctos huic sententiae vel multis verbis, vel obiter certe atque aliud agendo adstipulatos esse, ut S. PETITUM (l. l. p. 392 sqq.), ut MATTHIAEUM (De Judiciis, passim), ut BOECKHIUM [66]). Qui autem aliter senserunt, veluti J. MEURSIUS et G. SCHOEMANNUS [67]), ii plurima miscendo commiserunt, ut graviter reprehendendi esse videantur. Nam quod ingentem judiciorum numerum excogitant, vehementer repugnat Pseudo-Xenophon De Rep. Athen., qui pauca tantum Athenis dicasteria exstitisse auctor est. Prudentiores ad summum hoc largientur, decem Athenis fuisse *praeter Areopagum* judicia: sed ne id quidem ut mihi persuadeam, ullo pacto adduci possum. Verum MEURSIUS quum, numero male inito, circiter XIII judicia posuisset, alios quosdam locos deinceps adnexuit, qui ne fuerunt

66) In Oecon. Athen I. p. 253 „Die zehn gewöhnlichen Athenischen Gerichtshöfe, inquit, jeder zu fünfhundert Richtern, erforderten täglich nur fünftausend.“

67) Nam DOBRAEUS quidem leviter hoc negotio defunctus scripsit tantum haec l. l.: „Ipsi Meursio, Areopag. XI init. suspecta fuit ista fabula de X tribunalibus.“

Digitized by Google

quidem judicia publica. Schoemannus denique, festivo quodam errore ductus, non modo unum idemque forum, cujus varia nomina circumferebantur, aliquoties pro multis habuit, verum etiam pauca cumuli loco adjecit, quorum memoria interisset, itaque numerum judiciorum Atticorum auxit in immensum. Sic quodammodo eventum habuit oraculum illud, jocose fictum ab Aristophane, Vesp. v. 799 sqq. De his igitur judiciis jam breviter disseram, sed omissis foris de caede omnibus, quorum numerus nunquam in dubitationem vocatus est: nam *τὸ ἐν Ζέᾳ* Lex. Rhetor. 311, 17 minime differe a *τῷ ἐν Φρεαττοῖ* vere monet Schoemannus. Proficiscar autem ab J. Polluce VIII, 121., ubi ab Hemsterhusio sic editum est: *Γνώριμα δικαστήρια, ἡ Ἡλιαία, τὸ τρίγωνον, οὗ μέμνηται Δείναρχος. μέσον παράβυστον, μεῖζον παράβυστον· καὶ μείζονος δὲ μέμνηται Λυσίας. ἐν μέν τοι τῷ παραβύστῳ οἱ ἕνδεκα ἐδίκαζον· τὸ Μητίχου κάλλιον, οὗ μνημονεύει Ἀνδροτίων. τὸ ἐπὶ Λύκῳ·* ——— *τὸ δὲ Μητίχου δικαστήριον μέγα, οὕτω κληθὲν ἀπὸ ἀρχιτέκτονος Μητίχου.* Hanc judiciorum seriem, quamvis incommodam et pravam, Schoemanni causa retinebo. Debebat vero Pollux judicia, ut a maximo ad minimum perveniret, hoc potissimum ordine recensere, I Heliaeam II Meticheum III ad Lycum IV Trigonum V Parabystum. *Γνώριμα δικαστήρια ἦν, ἡ* — (sic Falckenburgii Codex) dixit Pollux, sive quod verebatur, ne unum alterumve judicium, sibi haud cognitum, sed antiquum praeteriturus esset *(Judicia quae ego norim)*; quare nonnullis locis scriptorum testimonia apposuit: sive quo pateret, novitiis temporibus atque obscuris, quum antiqua Atheniensium judicia sublata essent, nova quaedam in eorum locum successisse, sed ignobilia, nec satis digna momoratu. Tantum certo definias, nullum abeo omissum esse judicium civile, temporum quidem antiquiorum. Et Heliaea quidem hujus generis judiciorum longe fuit maximum. De hujus fori judicibus proprie a Graecis dici *ἡλιαστὴς* et *ἡλιάζειν*, ceterum haec verba saepissime late patere, ut etiam reliquos judices, sorte lectos complectantur, multis verbis ostendit Schoemannus. Testibus utitur in re et notissima et minime mira non necessariis. Idem repudiata plerorumque grammaticorum auctoritate, qui *ἡλιαία* a verbo *ἥλιος* ortum esse arbitrantur, Heliaeam ab v. *ἁλίζεσθαι* sive *ἀλιάζεσθαι* ducit, deteriores grammaticos sequutus, quibus accedat

Digitized by Google

Scholiasta ad Eurip. Orest. v. 859. O factum male. Nam a verbo ἁλίζεσθαι vix ἁλιαία nasci poterat, nedum ἡλιαία. Aliter visum est Aristophani, quem sequi, quam SCHOEMANNUM satius duxerim, duobus locis, tum Vesp. 772 ἡλιάσει πρὸς ἥλιον, ubi ἐλιάσει Ravennas, ἡλιάσει ut videtur Scholiasta, tum Avv. 110 ἡλιαστά — ἀπηλιαστά. Neque enim quisquam causam literae π repetitam volet ab π᾽ antiquissima forma literae φ, allatis Hesychio s. Μεσοπέρδην Photio 260, 4 atque Eustathio, qui quoniam nimium probant, nihil probant, quum praesertim de comico vocabulo pessime statuunt grammatici. Imo vero ἥλιος in compositis vocibus tenuem literam servat, substituta in flectendo ionica forma ἠέλιος; neque aliter sentiendum est de ἀπηλιαστὴς, ac de ἀντήλιος, ἀπηλιώτης et similibus vocabulis. Ab ἥλιος vero duo adjectiva derivantur et ἡλιαῖος, et vero etiam ἡλιακός, cujus formae tam notae exempla ponere nihil attinet, eadem lege, cui subjecta sunt adjectiva in — εῖος et — ικός, ἀνδρεῖος, ἀνδρικός, de quibus nuper exposui De Daetalens. p. 39. Jam tertium proferam argumentum, quo Heliaeam a voce ἥλιος natam esse eluceat. Nam quae vulgo dicitur ἡλιαία, ea ἡλιακή nominatur ab Antiphonte Περὶ τ. χορ. 21, 2 B ἀναβὰς εἰς τὴν ἡλιακὴν τὴν τῶν Θεσμοθετῶν —. De quo loco SCHOEMANNUS duos errores commisit sane graves. Primum enim maximopere probat pessimam TAYLORI conjecturam τὴν ἡλιαίαν pro τὴν ἡλιακήν, quam ne commemorare quidem debuerat BEKKERUS. Nam hoc est probissimam formam, quam nobis ab Antiphonte conservatam esse recte in beneficii loco putabimus, ultro exstinguere, idque tanta levitate, ut nihil aliud, quam forma maxime vulgaris quaesita esse videatur[68]). Alterum SCHOEMANNI vitium est, quod ibi τὴν ἡλιακὴν in universum interpretatur de quovis judicio, contra manifestam Antiphontis voluntatem, qui de Heliaea se loqui non dicit, sed plane clamat. Quodsi adjunxeris Andocidem p. 14 R. ἐν τῷ τῶν Θεσμοθετῶν δικαστηρίῳ, benigne suppeditatum, sed non magis intellectum ab SCHOEMANNO, videbis, judicium gravissi-

68) Ne Eustathium quidem sine bona gratia dimittemus 639, 37 Ὅτι περικαλλέα λέγει τὸν τοῦ Ἰριάμου οἶκον, ξεσταῖς αἰθούσαις τετυγμένον, ἤτοι λιθίνοις, ὑπαίθροις, στοαῖς αἰθομέναις ἡλίῳ, καθὰ δηλοῖ τοὔνομα τῆς αἰθούσης· ὅθεν τῇ δημώδει γλώσσῃ παρεπονήθη τὰ ἡλιακά.

mum tria minimum habuisse nomina ἡλιαία sive ἡλιαχὴ et τὸ τῶν Θεσμοθετῶν δικαστήριον. Ex eo autem, quod verbum ἡλιαία ab ἥλιος tanquam e fonte profluxisse ostensum est, quum illud patet, scripturae genus saepe in Codd. grammaticisque obvium ἡλιαία ferri non posse, tum etiam, id quod multo majoris est momenti, Heliaeam locum fuisse sub dio et solis radiis inprimis expositum. Sic igitur duorum eorumque longe sanctissimorum fororum judices sub divo sedebant, Areopagitae (Polluc. VIII, 118) atque Heliastae, illi ne idem tectum subirent (ὑμοῤῥόφιοι) cum reis humano sanguine pollutis — unde forsitan etiam in veteris caedis judiciis hic mos obtinuit —, hi casu magis, quam ducta ab Areopagitis similitudine. Duo alia fora, Trigonum et Parabystum conjuncte tractabo, quorum hoc in obscuro urbis loco situm erat, illud formam referebat trianguli: unde eis nomina imposita esse etiam Pausanias narrat: Pollucis verba depravata esse certissimum est. Nam neque plura erant Parabysta, sed unum, commemoratum a multis, in quo praeter judices sedebant undecim viri, neque μέσον et μεῖζον recte sibi opponuntur, unde Meursius μέσον mutabat in μεῖον, nec denique per Codices licet, vulgatam scripturam retinere. Etenim tum Schotti Codex, id est Salmanticensis sive Falckenburgianus, tum Jungermanni substituunt μίσον παράβυστον μεῖζον. παραβύστου δὲ καὶ μειζονος μέμν. Omittam infelices Jungermanni conjecturas et statim aperiam e vestigiis horum librorum ita reponendum esse videri: τὸ τρίγωνον, οὗ μέμνηται Δείναρχος, ἢ μέσον· παράβυστον ἢ μεῖζον· παραβύστου δὲ καὶ μείζονος μέμνηται Λυσίας. Trigonum enim alio nomine appellabatur Μέσον et Parabystum item alio Μεῖζον. Nam et Μέσον nomine, non re differre a Trigono, ipse Pollux docet, qui Μέσον, si quidem singulare quoddam dicasterium fuisset, certe explicasset: et Μεῖζον plane idem fuisse cum Parabysto idem Pollux planum facit, qui duobus nominibus Παράβυστον atque Μεῖζον e Lysia allatis statim ita perrexerit: ἐν μέντοι τῷ Παραβύστῳ —. Compara Photium 260, 6 Μέσον δικαστήριον Ἀθήνῃσι. atque eundem 601, 6 τρίγωνον: δικαστήριον Ἀθήνησιν, ὡς Παράβυστον καὶ μέσον. Trigonum, Parabystum et Medium consociantur in hac glossa, caeteroquin absurda. Nisi vitium latet vel librarii vel grammatici, distingue saltem: καὶ μέσον sc. dicebatur Trigonum. Nunc in consilium

Digitized by Google

adhibe scholium tum ineptissimum, tum utilissimum ad Vesp. 120 τὸ καινὸν] τόπος ἐν τῷ δικαστηρίῳ οὕτω λεγόμενος. εἰσὶ δὲ δ', Παράβυστος, Καινὸς, Τρίγωνος, Μέσος. Falso Codex Venetus Μέσου pro Μέσος. Hic bina nomina connectuntur Παράβυστος, Καινός ac tum Τρίγωνος Μέσος. Ex quo probabiliter sequitur, neque Τρίγωνον et Μέσον discrepare, neque τὸ Καινόν, ut apud Aristophanem est, pro alio judicio haberi debere, ac pro Parabysto. Ita tanquam ex fuga reprehendimus duo judicia, unum Τρίγωνον sive Μέσον, alterum Παράβυστον sive Μεῖζον sive Καινόν. Duas alias appellationes acceptas referimus Pausaniae I, 28, 8 τὸ μὲν οὖν καλούμενον Παράβυστον καὶ Τρίγωνον, τὸ μὲν ἐν ἀφανεῖ τῆς πόλεως ὂν καὶ ἐπ' ἐλαχίστοις συνιόντων ἐς αὐτό, τοῦ δὲ ἀπὸ τοῦ σχήματος ἔχει τὰ ὀνόματά· Βατραχιοῦν δὲ καὶ Φοινικιοῦν ἀπὸ χρωμάτων [τὸ δὲ] καὶ ἐς τόδε διαμεμένηκεν ὀνομάζεσθαι. Dubium in his est, utrum τὸ δὲ ante καὶ cum Clavigero, Siebelisio, Bekkero ejici debuerit, an praestet lacuna aliquot verborum expleta rescribere τὸ δὲ ἐπὶ Λύκῳ (vel Μητιχεῖον) καὶ ἐς — quorum hoc fortasse probabilius est. Utrumvis probatum fuerit, non tamen aliter hic locus intelligi potest, nisi ita, Parabystum alio nomine Βατραχιοῦν vocatum esse et Trigonum alio Φοινικιοῦν, a coloribus utrumque. Itaque vel sic, duo tantummodo habemus fora, alterum Τρίγωνον, sive Μέσον sive Φοινικιοῦν, alterum Παράβυστον, sive Μεῖζον, sive Καινὸν sive Βατραχιοῦν sive denique παρὰ τοὺς Ἕνδεκα. Hoc loco Schoemanni dissertationem diobolarem evolvere operae pretium est. Is parum habuit apud Pausaniam invitissima bona Grammatica Βατραχιεῖν et Φοινικιοῦν pro singularibus foris vendere, nisi etiam quinque alia adjecisset eaque diversa judicia Μεῖζον, Παράβυστον, Τρίγωνον, Μέσον, Καινόν. Procrustes quidem, si in aliquem incidisset, quem statura esse justo proceriore falso putaret, unum hominem divisit in duos: Schoemannus, quomodo duo judicia in septem extendi possent, primus invenit. Haec enim ab eo ratio inita est, I Trigonum II Parabystum III Medium IV Majus V Novum VI Viride VII Puniceum. Petitus, cui insultat mortuo, uno tantum plus numerarat 1, Trigonum 2, Parabystum medium 3, Parabystum majus, ratus et ipse et post eum alii, Μέσον atque Παράβυστον haud differre: quod non video, quomodo effici possit e Polluce. Undecim autem viros item sedisse

Digitized by Google

in Parabysto, praeter Pollucem etiam alii testantur, ut Photius 380, 26., recteque Vesp. 1108 *οἱ δὲ παρὰ τοὺς Ἕνδεκα* Parabystum intelligit Florens Christianus. Schoemannum jure mireris, qui a se ipse deficiens non etiam octavum judicium adposuerit *παρὰ τοὺς Ἕνδεκα*. Restat Meticheum, ut de omnibus disputatum esse videatur: quoniam de foro ad Lyci sacellum jam ante ad necessitudinem rei satis dictum est. Sed breve faciam. Nomen *τὸ Μητίχου κάλλιον* jam veteribus grammaticis multum negotii facessivisse, e Photio intelligas 126, 24 *κόλλειον: δικαστήριον Ἀθήνησιν ἀπὸ καλλείου τοῦ πεποιηκότος ἐπώνυμον*. Scriberet saltem *Καλλίου* et *Κάλλιον*, sed tota haec ratio inanis est. Quomodo enim Callias forum exstruere potuit ab Meticho aedificatum? sed discimus tamen ex hac glossa, *τὸ Μητίχου κάλλιον* etiam simpliciter *κάλλιον* nominatum esse. Dici autem vix potest, quantopere Viros Doctos verbum *κάλλιον* vexarit. Tandem viderunt Schneiderus in Lexico, Bastius Ep. Crit. p. 159 et Schoemannus, *κάλλιον* significae ligneum aedificium ad tenuis templi similitudinem exstructum allatis Lex. Rhetor. 270, 6 *κάλλιον: λυπρὸς ναὸς, ἐξ αὐτοσχεδίου γενόμενος*, Hesychio s. *Μητίχου τέμενος* et Lex. Rhetor. p. 309. sed nonne sic necessario *κάλιον* scribendum est, collata Photii glossa proxima *καλιά: νοσσιὰ ἢ οἶκος ξύλινος κυρίως· κάλα γὰρ τὰ ξύλα*? Bastius primum unice probat scripturam *Μητίοχος*, *Μητιόχη*, *Μητίοχειον*, adsentiente Schoemanno. Frustra: *Μητίοχος* vulgaris forma est, *Μήτιχος*, quod et ipsum in multis locis invenitur, contracta est, graeca vero utraque. Hesychii glossam hanc, *Μητίχου τέμενος: εἴη ἂν Μητιχεῖον, δικαστήριον μέγα, ὃ προσεκλήθησαν δικασταί.* egregie correxit Bastius e proverbiorum sylloge cod. N. 1773 bibliothecae Parisiensis, in hunc modum, *Μητίχου τέμενος: εἴη ἂν τὸ Μητιχεῖον δικαστήριον μέγα, ᾧ προσεκληρώθησαν χίλιοι δικασταί*. Ceterum *δικαστήριον* etiam Pollux appellat. Duae aliae glossae inter se pugnant, una Photii 268, 3 *Μητίχος: ἀρχιτέκτων καὶ ῥήτωρ τῶν οὐ τὰ βέλτιστα συμβουλευόντων*. altera Lex. Rhetor. 309, 17 *Τέμενος Μητιόχου: δικαστήριον, ὀνομασθὲν ἀπὸ Μητιόχου ἀρχιτέκτονος ἢ ῥήτορος τῶν τὰ βέλτιστα συμβουλευσάντων*. Male Bastius e posteriore loco metitur Photium, quem corrigere studet. Nam e Comico incerto atque e Plutarcho satis intelligitur, *οὐ* deesse non posse. Confer praeterea Theophrastum

Digitized by Google

ap. Polluc. VIII, 52 *ἐγίγνοντο δὲ εἰσαγγελίαι καὶ κατὰ τῶν καταλυόντων τὸν δῆμον ῥητόρων ἢ μὴ τὰ ἄριστα τῷ δήμῳ λεγόντων.* Tum non impedio, quin Photius scripsisse putetur *ἀρχιτέκτων ἢ ῥήτωρ*, sed melius consulent Photio, qui *ἀρχιτέκτων καὶ ῥήτωρ* retinebunt. Verisimillimum est enim, Metichum utrumque fuisse. Artificem dixit etiam J. Pollux (*ἀπὸ ἀρχιτέκτονος Μητίχου*) et solebant jam antiquitus aedificia publica a conditore nomen accipere; rhetorem appellat Plutarchus; postremo utrumque fuisse probabiliter concludas e Comico. Apud Alciphron. Epp. III, 29 in Codd. legitur: *ἠγνόουν δὲ ὅτι δεινὸς εἰ ῥήτωρ ὑπὲρ τοὺς ἐν Μηλίῳ κατὰ τῶν ἀλλοτρίων ἕνεκεν ἀδικομαχοῦντας.* Berglerus emendarat *ὑπὲρ τοὺς ἐν Μητιχείῳ τῶν* — Bastius perfecit emendationem *ὑπὲρ τοὺς ἐν Μητίχου καλλίῳ τῶν* — scribendo. Conjecturae admodum probabili nescio quo modo nugas anteposuit in Appendice p. 43. Tum Plutarchus Praec. Reipubl. ger. c. 15 e Comico aliquo hos affert tetrametros,

Μητίοχος μὲν γὰρ στρατηγεῖ, Μητίοχος δὲ τὰς ὁδοὺς,
Μητίοχος δ' ἄρτους ἐποπτᾶ, Μητίοχος δὲ τἄλφιτα,
Μητίοχῳ δὲ πάντα κεῖται, Μητίοχος δ' ὀλιμώξεται.

Plutarchus vero addit: *Τῶν Περικλέους οὗτος εἷς ἦν ἑταίρων, τῇ δὲ ἐκείνου, ὡς ἔοικε, δυνάμει χρώμενος ἐπιφθόνως καὶ κατακόρως.* Porsonus Suppl. ad Praefat. Hecub. p. XXV. Comicum illum incertum dixit, sed Aristophani aequalem, solo, ut opinor, Metiochi nomine ductus. Fuit scilicet tum aequalis, tum paullo idem antiquior Aristophane. Nam ego plane intellexi, hoc tres versus ab Hermippo, vetere Comico, scriptos esse, idque aut in Jambis Tetrametris, aut in Parodiis: id quod, quum a proposito meo alienum sit et tamen cum aliqua voluptate cognoscatur, infra demonstrabo [69]). Ahlwardtus

---

69) Hermippus, maledicentissimus poëta, qui Archilochi contumelias saepe adaequavit, interdum etiam superavit, hic in Metiochum, Periclis amicum, invehitur, quemadmodum alibi Periclem ipsum proscidit notissimis versibus *Βασιλεῦ Σατύρων* —. Sed primum explicabo verba Scholiastae ad Ar. Plutum v. 701 *Ἕρμιππος ἐν τῷ πρώτῳ ἰάμβῳ τῶν τριμέτρων.* Ubi Hemsterhusius, quum profiteretur hunc non comoediae fuisse titulum, sed operis ex pluribus diversaeque materiae carminibus iambicis conflati, paullum aliquid vidit, at Meineckius Q. Scen. I. p. 31 nihil vidit omnino. Res ita se habet. Scripsit Hermippus Jambos, non Comoedias illos, sed carmina, in quibus Ar-

Digitized by Google

quidem olim in Miscell. Crit. I, 2 p. 268 hos versus Choriambicos esse decrevit neque verius ELMSLEJUS sexies *Μήτιχος* scribi jussit, uterque scilicet dactylis offensus. ELMSLEJI sententiam male probavit nuper admodum A. MEINECKIUS, Q. Sc. III p. 21 infra. Sed ex Archilochi loco, quem Hermippus expressit, et cujus peropportune meminit PORSONUS

---

chilocheo more certos homines vel dilaceraret vel proculcaret (Schmähgedichte). Haec carmina Jambos appellavit communi nomine, eaque in duo genera distribuit, alterum *trimetrorum*, *tetrametrorum* alterum. Idem sentiendum est de titulis Archilochi *Ἴαμβος τρίμετρος* et *τετράμετρος*, de quibus multi vulgo falluntur. Pseudherodotus I, 12 *Γύγης* [*τοῦ καὶ Ἀρχίλοχος ὁ Πάριος, κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον γενομένος, ἐν Ἰάμβῳ τριμέτρῳ ἐπεμνήσθη.*] Rectissime ergo Scholiasta ille dixit *ἐν τῷ πρώτῳ ἰάμβῳ τῶν τριμέτρων*. Nam etiam alterum Jamborum exstabat genus, tetrametrum. Quum vero Hermippus singula quaeque carmina tum e trimetris tum e tetrametris inscripserit *Ἴαμβος*, mirum non est, cuncta illa carmina *Ἴαμβοι* nominata esse. Quod ibi Scholiasta protulit, id e primo statim carmine depromtum erat, trimetrorum quidem. Ceterum *Ἴαμβοι* jam ante Hermippum alii scripserant, primus quidem Archilochus, mox etiam Simonides sive Ceus sive Amorginus (v. c. ap. Athen. VII, 299 c.) Ex Jambis Hermippi senarium hausit Athenaeus III, 76, c. Scholiasta ad Aves v. 1150 *Ἕρμιππος ἐν τοῖς Τριμέτροις*, minus definite Athenaeus XV, 667, d. *Ἕρμιππός τε ἐν τοῖς Ἰάμβοις*, et XV, 700, d. *Ἕρμιππος δ' ὁ κωμῳδιοποιὸς ἐν Ἰάμβοις*. Altera vero Jamborum pars Tetrametros trochaicos complexa est. Scholiasta ad Vesp. 1169 *ὁμοίως δ' ἐστὶ καὶ παρ' Ἕρμίππῳ ἐν τοῖς Δημέτροις·* (recte Venetus *τετραμέτροις*: Dimetros enim ne scripsit quidem Hermippus nisi in integris Comoediis)

ὕστερον δ' αὐτὸν στρατηγὸν, οὖσαν εἰλωτημένην,
καὶ κασαλβάζουσαν εἶδον, καὶ σεσαλωκισμένην.

Cujus loci sententia ad nostrum prope accedit. Duo alios tetrametros trochaeos ex Jambis Hermippi petiit Athenaeus XI, 461, e. Tetrametros Hermippi commemorat etiam Scholiast. ad Avv. 303, subjectis poëtae verbis, in quibus utcumque corruptis trochaeos tamen tetrametros certo cognoscas. Sed quum nostro loco parodia versuum Archilocheorum contineatur, potest etiam e Parodiis Hermippi sumtus videri, quas Polemo diserte commemoravit ap. Athen. XV, 699, a. Nam MEINECKII opinio l. l. Hermippum parodias fabulis suis intexuisse rati, nescio, an ipso Polemonis loco refutetur. Verum sive ex Jambis, sive e Parodiis noster locus fluxerit, certe Hermippi judicandus est. Nam vivebat Hermippus Metiochi aetate, male oderat Periclem ejusque amicos, rabiem et contumelias Archilochi aemulabatur, denique trochaeos tetrametros, Jamborum partem alteram, singulari libro ediderat: neque enim noster locus ita comparatus est, ut ex integra Comoedia derivatus recte videri possit.

Digitized by Google

Νῦν δὲ Λεώφιλος μὲν ἄρχει, Λεώφιλος δ' ἐπικρατεῖ,
Λεωφίλῳ δὲ πάντα κεῖται, Λεώφιλε δ' ἄκουε.[70])

apparet Hermippum ad imitationem Archilochi se composuisse, quum in aliis, tum in eo, quod *Μητίοχος* semper joci causa contraxit, ut ille *Λεώφιλος*. De caetero, hoc festivo jocandi genere, quod in frequentissima repetitione verbi primarii cernitur, Aristophanes plane abstinuit et in fabulis superstitibus, et in fragmentis deperditarum, volui dicere perditissimarum. Sed impense eo delectatur Plautus, ut Curcul. I, 3, 22 (quem l. confer cum Cic. De Senectute c. 16 § 58.)

Sibi sua habeant regna reges, sibi divitias divites.
Sibi honores, sibi virtutes, sibi pugnas, sibi proelia,
Dum mi abstineant invidere, sibi quisque habeant, quod suum'st.

Amphitruo II, 1, 76

Vigilans vidi, vigilans nunc te video, vigilans fabulor
Vigilantem ille me jam dudum vigilans pugnis contudit.

Asinaria I, 3, 31

Vólt placere sese amicae, vólt mihi, vólt pedissequae,
Vólt famulis, vólt etiam ancillis, et quoque catulo meo

Ubi corrigo: et quoque *volt* catulo meo. Adde locos Asinar. III, 1, 23, III, 3, 74. IV, 1, 27. Captiv. II, 3, 84, III, 1, 28. Casina III, 4, 12—20. Mil. Glorios. II, 3, 60. 61. Menaechm. II, 3, 52. et V, 5, 37. et V. 6, 26. Mox cum voluptate legi bonam emendationem Schoemanni in Lex. Rhetor. p. 269, 33 *κάλλιον: δικαστήριον Ἀθήνησιν, οὕτω καλούμενον ἀπὸ τοῦ καλλύνειν καὶ κοσμεῖν καὶ λαμπρύνειν.* Recte corrigit fere sic: *Κάλλιον: δικαστήριον Ἀθήνησιν, οὕτω καλούμενον ἀπὸ * * * Καλλυντήρια: ἑορτὴ Ἀθήνησιν, οὕτω καλουμένη ἀπὸ τοῦ καλλύνειν κτλ.*

Recte etiam e veritate rei metiendum esse arbitratur illud Aristophanis Vesp. 1109 *οἱ δ' ἐν Ὠδείῳ δικάζονσ'*, docens ex orat. in Neaeram p. 1362 et Polluce VIII, 33 lites de alimentis repudiatae uxori a marito aut viduae a mariti heredibus prae-

70) Ultima corrupta sunt nec scribi potest cum Porsono *Λεωφίλου δ' ἀκούεται*, quo nihil est languidius, si Leophilus forte surdaster fuit, scribe *Λεώφιλος δ' ἀκούσεται*, sin minus, *Λεώφιλος δὲ κλαύσεται*, vel aliter, modo ut decebat Archilochum.

Digitized by Google

bendis (*τὰς αἰτεν δίκας*) in Odeo dijudicatas esse itaque Scholiastam ad Vesp. l. l. inscitiae coarguit. Praeterea Areopagitae nonnumquam etiam in regia Porticu judicabant (Demosth. in Aristogit. I. 23, 4 B.), praesidente, ut par erat, Rege (Pausanias I, 3, 1.) Neque idcirco tamen aut ullus veterum, qui multa utriusque loci mentionem injecerunt, aut virorum doctorum, qui nostra memoria de eis dixerunt, vel Odeum, vel Regiam Porticum inter publica judicia numerare ausi sunt. Verissime. Nempe certum puto, in ambobus locis non integrum judicium statis diebus, sed rarius tantum paucos judices atque delectos (ein Ausschuss) sedisse. Ita plane Romae in Basilica judicia agitabantur, sed privata tantum, a centumviris maxime. Quin mea causa interdum etiam in Theseo (Etymologus s. v. *Θησεῖον* et Photius 91, 19.) judicaverint, modo illud teneatur, eandem rationem fuisse Thesei, quae Odei fuit et Porticus Regiae. Tum Schoemannus post alios affert Plutarchum De Genio Socr. c. 10 *πορευομένους δ' αὐτοῖς διὰ τῶν Ἑρμογλύφων παρὰ τὰ δικαστήρια σύες ἁπαντῶσιν ἀθρόοι*, ex quo loco liquet, in illa platea aliquot fuisse dicasteria: sed bene adjicit haec fortassis in eorum numerum referenda esse, quorum nomina a Polluce tradita sunt. Ac fortasse ibi dicuntur Trigonum et Parabystum, quae duo fora admodum vicina fuisse quovis pignore contendam. Denique non intellexit Schoemannus Aristophanis locum Eqq. 974

καίτοι πρεσβυτερῶν τινῶν
οἵων ἀργαλεωτάτων,
ἐν τῷ δείγματι τῶν δικῶν
ἥκουσ' ἀντιλεγόντιων.

Putat autem verbis *δείγμα τῶν δικῶν* locum aliquem significari, ubi *δικῶν* quasi quaedam specimina, sicut mercium in Piraeensi, proponantur, eumque locum fuisse forum urbanum. At *Δεῖγμα*, ut recte Symmachus in scholiis, in Piraeo fuit (vide, ut alios mittam, Harpocrationem s. *Δεῖγμα*, ibique *Valesium*): quo in loco, ut in tonstrinis, tum ad muros longos, et in foro unguentario, otiosi homines saepe fabulabantur. Aristophanes enim ita sentit: „Valde exoptatus omnibus ille veniet dies, quo Cleon perierit, praeterquam judicibus, qui ei triboli beneficio obstricti tenentur. Audivi judices, in Digmate confabulantes, qui Cleoni favere videbantur.“ Nempe *ἐν τῷ Δείγματι τῶν*

Digitized by Google

δεικῶν dictum est comice pro ἐν τῷ Δείγματι simpliciter, vel potius, pro ἐν τῷ Δείγματι τῶν ὠνίων, ut omnes spectatores animadverterent, hic solos judices quasi per nebulam offendi. Eodem consilio etiam priora verba posita sunt,

καίτοι πρεσβυτέρων τινῶν,
οἵων ἀργαλεωτάτων.

quae nisi de judicibus intelligi omnino non possunt.

Tantum est. Quodsi in ultimo capite festinavi, fastidio justo citius obrepente, veniam mihi dabunt ei certe, qui cogitaverint, me, dum SCHOEMANNO gratificarer, mei propemodum oblitum esse. Quam mallem nunc, omisso SCHOEMANNO, animum et, ut plerumque facio, impetum meum sequutus essem: tum profecto longe melius scripsissem.

Digitized by Google

THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.

CANCELLED
JAN 2 8 1983
- 1982
755.916

Digitized by Google

Digitized by Google